FESTIVA
A REGE
LUDOVIC
XIV

C.A. ~~53=C.~~ ~~74~~ 2

113_3_

200

GFA
9(2)

100.159
3 - 20 - 1

N°392

3 - 33 - 1

3
20
1

BIBLIOTECA BUCUREȘTILOR

FESTIVA
AD CAPITA ANNULUMQUE
DECURSIO,
A REGE LUDOVICO XIV.
PRINCIPIBVS,
SVMMISQVE AVLÆ PROCERIBVS
EDITA

ANNO M. DC. LXII.

ANNO M. DC. LXII.

EDITV

SVMMISQVE VALLE PROCERIBVS

PRINCIPIBVS.

A PRECE LVDOVICO XIV.

DECVRSIO

AD CAPITA ANNVLANTIBVS

FESTIVA

N° 392




FESTIVA
AD CAPITA ANNULUMQVE
DECURSIO,
A REGE LVDOVICO XIV
PRINCIPIBVS
SVMMISQVE AVLÆ PROCERIB
EDITA
ANNO M. DC. LXII.

Sylv. Rousselet Sculp.

Parisijs
Ex Typographiâ Regia. 1670.

BIBLIOTECA MUNICIPALE CENTRALE MILANO




FESTIVA
AD CAPITA ANNULUMQUE
DECURSIO,
A REGE LUDOVICO XIV.
PRINCIPIBVS,
SUMMISQUE AULÆ PROCERIBUS
EDITA ANNO M. DC. LXII.

Scripſit Gallicè

CAROLVS PERRAVLT:


Latinè reddidit, & Verſibus Heroïcis expreſsit


SPIRITVS FLE'CHIER.



PARISIIS,
E TYPOGRAPHIA REGIA.

M. DC. LXX.





F. Chauveau fil. et fecit

SERENISSIMO GALLIARUM DELPHINO.



VM ex omnibus quæ ad inſtitutionem tuam pertinent, nulla Te, aut vtiliùs, aut glorioſiùs incitent, quàm LVDOVICI *Patris exempla : æquum eſt,* SERENISSIME DELPHINE, *Tibi ad imitandum proponi, quidquid Ille præclarè geſſerit. Cùm maturior olim & firmior ætas, indoli tuæ planè Regiæ, animíſque ingentibus, Heroïs vires ac robur addiderit: inſpicies profectò Regum Maximum, nunc prima ducentem ſuorum agmina, Imperatoriis artibus vſque adeò egregium, vt ferociſſimis hoſtibus metum, peritiſſimis Ducibus admirationem concitet ; nunc in Caſtris, aut in ipſo præliorum æſtu, tam intrepidè ac fortiter pugnantem, vt ſuâ virtute hoſtes, ſuis periculis milites ſuos terreat. Miraberis, ſive inter triumphos, ipſius victoriæ manibus coronatus emineat, & temperatâ ac leni Majeſtate victos etiam ſibi conciliet; ſive in ſecretioribus Conſiliis mirâ ſagacitate cuncta proſpiciat, &*

incredibili prudentiâ disponat. Omnium Ille tibi virtutum exempla, dum ætas tua feret, intereà colligit; quæ in usus deinde tuos proferet Vir ille sapientissimus, qui institutioni tuæ præpositus, absolutissimam in Te Regis Imaginem effingit, & ingentes spes alit Populorum.

At quia nondum tantis exemplis par es, SERENISSIME DELPHINE, *spectabis olim invictissimum Parentem iis armis instructum, eóque belli apparatu, quibus totam quàm latè patet Europam concutit, quoties se ad militares curas accingit. Assuesce nunc in Decursionibus, & Equestribus Pompis, quæ umbratiles pugnæ sunt, demirari; & duris laboribus, quodam mansuetiorum virtutum tyrocinio, prælude. Magnificentiam disce, excultam Pomparum solemnium festivitatem, & quandam in militaribus ludis dexteritatem, cum decoro corporis habitu flexúque conjunctam.*

Earum quidem rerum imaginem in ea quam expressi, Ludicri Certaminis descriptione, perspicies. Cernes LVDOVICVM, *quem solus ipse & sequi & assequi poteris, ardua quæque meditantem; alta in pace bellicis artibus utentem; in otio etiam suo negotiosum; suis tam carum, quàm suos sibi caros sentit; lauris denique suis, palmísque, quibus hostes suos inumbrat, minores flosculos, in usus & spectacula Populorum inserentem.*


Atque ita, DELPHINE SERENISSIME, *non tam ea sunt ludorum oblectamenta, quàm exempla virtutum, quibus informari, & ad eam gloriam perduci poteris, ad quam tua Te ingentia fata accingunt. Iam hæret, exspectátque totus Orbis, quæ tua indoles, & prima tua portendit ætas. In quam lucem assurrecturus sis cogitat, qui tam illustribus initiis fulgeas: dúmque*

eum animum, vividámque eam erectámque mentem perſpicit, quæ præmaturis auſpiciis jam emicant, gaudet Tibi aliquando ſe eſſe pariturum. Faxint Superi, ut Te, fortunámque tuam Populi ſequi valeant, omníſque in Te Orbis dignum LVDOVICO XIV. *Filium admiretur. Hæc ſunt vota,*

SERENISSIME DELPHINE,

Tibi addictiſſimi ac devotiſſimi
CAROLI PERRAULT.


VT VIDI VICI.



FESTIVA
AD CAPITA ANNVLVMQVE
DECVRSIO
A REGE AVLÆQVE PROCERIBVS
EDITA ANNO M. DC. LXII.



LLVSTRIVM Virorum Mores, & Facta qui olim ſcripsêre; ſolent eorum non modò prælia, victoriáſque, ſed etiam ludos & otia Poſteris tradere. Iure quidem optimo. Nam pulcrâ virtutum ſpecie, bellatorum hominum vitia quandóque ſe obtegunt. Quin & ea nonnunquam ſcelera ſunt, quæ miramur Heroum Facinora. Acuit enim animos ut Virtus, ita Cupiditas. Pudor & famæ formido, cæca laudum ambitio, inſana ulciſcendi voluptas, fœda etiam quandoque libido non minùs incitant, quàm innatus ac ſincerus gloriæ ardor. At in otio quiſquis ingenium moréſque Principum explorarit, intimè noverit. Dum nec ſui decoris ſunt obliti, nec ignaviâ temporum fracti, ſed ad gloriam erecti, ſuam in pace dignitatem tuentur; ut Majeſtati ſuæ aut ſaluti in bello conſulunt: tunc altè inſidere eorum animis Virtus putanda eſt.

Id planè intellexerant, qui ſibi in oſtentationem ingenij, & laudandi argumentum, Heroicæ vitæ imagines effinxerunt. Poterant illi quidem per ſtrages, & profligatos exercitus, continuò victores inducere, quorum erant artifices. At eos nobis exhibent, qui pro Quernea Corolla in ludis, pro victoria & ſecuritate Imperij in præliis decertarent. Factos enim in exempla Principum viros exiſtimabant, quorum nuſquam animus langueſceret, quorum negotioſum eſſet otium, qui ubique acriter agerent, & ubi remiſiſſent bella, ludicris exercitationibus incumberent. Ita eum nobis Homerus Achillem depingit, qui curſu, diſco, & palæſtrâ, otij ſui, pactáque induciarum tempora conſumeret; Æneámque Maro non minùs commendat, cùm invitaret ludis ſuorum animos, & funebres Patri inſtrueret apparatus, quàm cùm Gentem rerum dominam victoriis ſuis, & Turni ipſius interitu conderet.

Equidem eas Artes qui optimè noverit, non inanes exiſtimaverit pompas, & ſpectacula ad ſolam oculorum voluptatem excogitata: quippe non modò à deſidia, quæ pacis & morum præcipua labes eſt, homines ad induſtriam avocant; ſed promptam etiam habent rei militaris diſciplinam. Corpora enim ad laborem flectunt, firmántque; ipſis quoque animis alacritatem, vímque ſuam augent, & gloriæ laudíſque deſideria, quibus maximè virtus incitatur, accendunt. Tum percipiunt egregij Iuvenes, quàm dulce lætúmque ſit, rebus præclarè geſtis, populari plauſu ac gratiâ excipi, cæteríſque omnibus anteferri; cùm in frequenti conſeſſu, fortitudinis aut dexteritatis præmium hilares retulêre.

Decet igitur, publicæque famæ intereſt, Regum maximi Spectacula in lucem prodire, ut poſtquam didicerit Poſtera Ætas, quibus cladibus Imperij ſui hoſtes affecerit; quâ curâ, quove ſtudio ſuorum fortunis, ac ſaluti conſuluerit; quid egerit pace, bellóque; miretur etiam ſi quid per remiſſiora tempora luſerit. Sciat LVDOVICVM ſui ſæculi Regibus æquè dexteritate & ſumptu, ac conſilio, animíque robore præſtitiſſe; quibus Galli Nobiles, cæteris etiam orbis terrarum Gentibus antecellunt.

Ea de cauſa Vir Clariſſimus Ioannes Baptiſta Colbertus, qui in promovenda Regis Regníque gloria, omnem curam fidémque adhibet; inceſſum, veſtes, ſymbola, curſus, omnémque celeberrimæ Pompæ apparatum in æs incidi curavit, inſculptíſque imaginibus, ac brevi oratione exprimi; vt ſui Principis Ludos quodammodo Poſteris ederet.

Priùs, tamen, quàm rerum ſeriem ſingulatim attingam, Lectorem monitum velim; quanta, quanta fuerit huius ludicri Certaminis magnificentia, tum ſplendore & ornatu veſtium, tum equorum, & famulitij ſtipantis frequentiâ, tum etiam Caſtrorum ſitu ac formâ; nihil aliud eſſe quàm Annuli, pictorúmque Capitum decurſionem, ſine argumento, ſine denunciatæ provocationis libellis, ſine ullâ machinarum ope; ita ut Aulicos quiſque putet præluſiſſe ludicrorum Certaminum celebritatibus, ſi quando eſſent cum omni ſuo ritu, luxúque ineundæ.

Le Duc de Gramont Maréchal de France.

Ac primùm Ducem Gramontium Franciæ Mareſcallum, ut præeſſet Spectaculo, Rex ipſe Caſtrorum Præfectum elegit, nempe unum inter Proceres bellicarum artium, & omnium lepôrum atque elegantiarum peritiſſimum. Placuit deinde nobiliſſimarum Gentium mores, veſtéſque imitari; rem nullis fabularum involucris, nullis machinationum ambagibus implicatam. Eæ quidem Gentes ſuis ſedibus excitæ, & in obſequium Delphini recèns nati adductæ videbantur: tum ut eius natales colerent; tum ut ei totius orbis Imperium deferrent. At eò tantùm res ſpectaverat, ut ordinatior eſſet Pompa, & peregrini cultus fulgore ſpectantum oculos animóſque reficeret.

Diviſæ igitur in quinque Turmas Nationes, & ſuo loco diſpoſitæ. Suus cuique præpoſitus Imperator. Decem adjuncti Equites cum ſuo ſinguli comitatu ac cultu. Romanis Rex præfuit; Perſis, unicus Regis frater; Turcis, Condæus; Indis, Anguienus Condæi filius; Americanis, Guiſius. Mox deſcripta Equitum nomina; decretúmque Regis arbitrio, quo quiſque ordine, quo Stipatorum numero, quâ veſte, quibus veſtium teſſeris inſtructus incederet.

La Place Roiale.

Deerat ſpectaculo Circus, qui circumfuſam Spectatorum multitudinem immenſis Theatrorum molibus ſuſtineret, & tantam intùs Equitum, tantam Equorum vim caperet. Regius quidem ille, ſtructus in eos ferè Ludorum uſus, laxis porticibus, ingenti gyro, pulcherrimo domorum proſpectu; quamquam LVDOVICI XIII. Pompam Equeſtrem olim incluſit, quantam nulla retrò ætas viderat; anguſtior tamen viſus eſt. Iuxta

Les Thuilleries.

Luparam Hortóſque Regios, patebat Area longè latéque fuſâ planitie, & circùm ſtructarum Ædium concinnitate, opportuna. Ibi exiguo tempore Caſtra locata quinque ſupra quadraginta decempedas in quadrum occupavêre; duplici carcerum ambitu ſepta. Interjectum inter utróſque carceres ſpatium, quo Equitum Turmæ commodè procederent. Erecta deinde Theatra compactis trabibus Caſtra cinxêre, relicto duodecim ferè pedum intervallo, quo vacui Seſſoribus equi includi poſſent, ne rerum ordinem perturbarent, ſi quando ardore ſuo atque impetu concitati acriùs efferveſcerent. Ita Amphitheatrum expreſſum, perfectúmque eſt eâ circuitus amplitudine, quæ hominum millia quindecim complecti poſſet. Quatuor infrà, ſupráque ordines collocati; ut qui ſpectaturi aderant,

rant, gradatim adsiderent ; ita quidem ut infimus è terra gradus octo pedibus surgeret, supremus totidem altiùs promineret.

Redacta in quadrum Amphitheatri forma, quà ingens patebat aditus, in hemicyclum desiit. Illic Regiæ Cohortis Statio posita, sive ut in medio Rex constitutus, Agminum incessum regeret ; sive ut considentes ex adverso Reginas suspiceret, vicissim & ipse spectandus. Reliquis Cohortibus ad extremas Circi partes suus locus sorte contigerat.

In media Regiæ Domus fronte, quæ medium Amphitheatrum spectat, Reginas, Principésque fœminas Theatrum excepit, partim Ionicæ, partim Doricæ artis duplici marmorearum columnarum serie distinctum, quarum ex auro bases, & epistylia, & zophori, & clathri, cæteráque ornamenta fulgebant : in Propylæum hoc opus desinebat, in quo hæc inscripta inciſáque nitidissimo marmori, aureis litteris legebantur.

VICTRICIBVS ARMIS
LODOICI
FRANCORVM IMPERATORIS.
LVDOVICVS XIV. FELICITATI NATIONVM DATVS,
REGVM DECVS, HVMANÆ GENTIS DELITIÆ,
HOSTIVM TERROR, SVORVM DESIDERIVM,
OMNIVM ADMIRATIO.
ANNOR. XXIII. VICTORIARVM NVMERO MVLTO MAIORE,
HOSTIBVS MARI TERRAQVE PROSTRATIS,
LATE PROLATIS FINIBVS, FIRMATIS VBIQVE TERRARVM SOCIIS,
PACE SVIS LEGIBVS ORBI SANCITA.
NE QVID CESSARET HEROICA VIRTVS,
PALÆSTRICAM VICTORIAM NON DEDIGNATVR.

Hinc inde Effigies eminebant, quarum altera Belli, Pacis altera speciem præferebat. Suis illa Trophæis, ista congestis omnium artium instrumentis insidebat. Apta huic argumento accesserant ornamenta, quorum dux & author Vigaranius Regius Machinarum Artifex, qui sub summo Castrorum Præfecto totius apparatus curam susceperat. *Le sieur Vigarani.*

Nonis tandem Iunij, cùm dies lætissimus illuxisset, Prætorianis Cohortibus Helvetiorum Francorúmque mandatum est, vias omnes, ubi diluceſceret, prætexerent, ab ipsa planitie quæ Vindocinensi Palatio adjacet, per Richelij, & Divorum Honorati, Nicasiíque vicos, ad ipsos Amphitheatri aditus : sive ad submovendas passim refluentium Populorum turbas ; sive ad augendam, novorum militum numero & quasi præsidio, Ludorum amplitudinem.

Ad Vindocinensis Ædes cum suo Agmine, cum omni ornatu suo se Rex contulit, induítque splendidissimas vestes. Cæteri cum suis Agminibus Duces, iuxta edictas ab eo qui Castris præerat leges, illuc convenêre. Aliquantò pòst suos inter Equites, Majestate suâ conspicuus Rex emicuit.

At Reginæ, quibus sese Britanniæ Regina, unici Regis fratris uxor, Gastonis Patrui filia, Principes atque Aulicæ fœminæ adjunxerant, in suo Theatro consedêre. Ex serico villoso coloris violacei, umbella pensilis, intextis auro Liliis ornabatur. Tapetes, pul-

viníque pedibus ſubſtrati, & cubitalibus cancellorum fulcris impoſiti, ſimili nitore ac luxu fulgebant.

Les Maréchaux d'Etrée, du Pleſſis, de Villeroy, d'Aumont.

Etræus, Pleſſæus, Villaregius, Aumontiúſque Franciæ Polemarchi infrà conſtiterant, quodam dignitatis ſuæ jure ac titulo, Regíſque ipſius delectu Caſtrorum Iudices conſtituti. Iuxtà, Legati, exterarúmque Gentium Miniſtri adſederant.





F. Chauveau fil. et fecit

QVINQVE TVRMARVM
CVM SVIS CASTRORVM PRÆFECTIS,
E FORO QVOD VINDOCINENSI PALATIO ADIACET
AD AMPHITHEATRI ADITVM
INCESSVS.



OLLOCATIS opportunè Reginis, prima ad ipſos uſque Circi aditus Pompa proceſſit. Præpoſitus Caſtrenſibus curis Gramontius ſolennium Ludorum initium fecit. Præibant Vigaranius qui ſecundas in Caſtris gerebat partes: deinde Tympanotriba, duo Tubicines, Armiger unus, Ephebi ſex, equi octo, quos crebris ſaltibus laſcivientes, bini hinc inde Agaſones adductis frænis temperarent; mox duo ærei Tympani pulſatores, Tubicines quatuor, Stipatores decem.

Ille Romanorum more ornatus prodiit. Textam terſo denſóque ferico purpuram induerat, cui multam auri argentíque vim inſeruit acus Phrygia. Similes pedibus cothurnos induxerat. Igneus ubique color, plurimíque crebro igne ſuo Pyropi radiabant. Sparſæ caſſidem eius ornabant gemmæ, & rubros inter plumarum apices nigra Ardeolæ criſta eminebat. Indicem Imperij baculum aureum manu gerebat; equo inſidens, cui ex auro argentove textili dependebat ſtratum; cui è crinibus etiam caudáque multi vittarum nodi defluebant. Quatuor deinde Gramontium Subpræfecti, non ſine magnifico veſtium apparatu, comitabantur.

Ibat deinde Dux Prætorianæ Cohortis Comes Noaillius, cui Turmæ Regiæ Caſtra commiſſa ſunt, Romano habitu; is enim erat Regis, & Equitatus Regij cultus. Buccinatores duo, Scutarius eques, Ephebi quatuor præceſſerant; totidem ſine Seſſoribus equi, octo Satellites, exiguóque pòſt intervallo, Cuſtodum Regij Corporis militum Legati, nunc Caſtrenſis Præfecturæ Adjutores duo, Romecurtius, & Carnaceus ſequebantur.

Le Comte de Noailles.

Romecourt, & Chatnacé.

Eodem ordine, pari comitatu, qui rem Caſtrenſem cujúſque Turmæ regebant, acceſſere. Vardeus ſub Aurelianenſi Duce, luxu Perſico ſplendidus: ſub Condæo, Luxemburgenſis, Turcico veſtitu: Coquetus, in Anguieni Turma, Indorum opibus inſtructus, Etræi Comitis gerebat vices: unum ex Americæ Proceribus exhibens Eques Gramontius, Guiſij Equites locandos ſuſceperat.

Le Marquis de Vardes.

Le Duc de Luxembourg.

Coquet.

Le Comte d'Etrée.

Le Chevalier de Gramont.

Ea poſtquàm Amphitheatrum Caterva ſubierat, & in Reginarum conſpectu parumper

ſteterat. Qui ſupremam Circi Præfecturam obtinuerat, loci aditus, ſeptúmque luſtravit, transfigenda exploravit Capita, ſtadium omne, quàm latè patet, inſpexit; réſque ubi intellexit aptè compoſitas, Regem per nuntios admonuit. Suos intereà, quà Reginæ ſederant, utrimque collocavit, & arenam emenſus, ſuam ſingulis Turmis ſtationem deſcripſit. Poſitis Caſtris qui præerant, quaſi relicto Stipatorum præſidio, ad ſuos ipſi Duces rediêre. Ille in ipſo Amphitheatri ingreſſu conſtitit, adventantium Principum Agmina, ritè vnà cum Subpræfecto, excepturus.

Non hîc ſingulas Veſtium, ſingulas Triumphi ludicri partes percurrere operæ pretium duximus. Qui curioſiùs inveſtigaverit, ſcriptas accuratè rerum animadverſiones, inſculptáſque diligentiſſimè, & ad rei veritatem expreſſas imagines conſulat. De Symbolis ac Lemmatibus ſeorsùm etiam agitur. Satis ſuperque eſt Lectorem, inſpectorémque operis admoneri; vt diverſas Veſtium ſpecies, ita diverſos cuique Cohorti colores eſſe præſcriptos, qui cùm eſſent auro, argento, gemmíſque permixti, lepidâ quâdam ac nitidâ varietate paſcebant oculos. Colore igneo nigróque, Romani; Puniceo albóque, Perſæ; Cæruleo ac nigro, Turcæ; Carneo croceóque, Indi; Viridi ac candido, cum pretioſis ferarum pellibus, Americani. Suis quique velut teſſeris diſcoloribus, notabantur.

Seſe ante omnes Campo intulit Regia Cohors. Qui bellica tundebat tympana; qui claſſicum canebant, auri argentíque texturâ induti progrediebantur: inſertæque vexil-
Maſſignai. lulis tubarum, equorúmque ſtragulis Aquilæ aureæ nitebant. Tum verò Maſſignaius Armiger Regius prodiit. Mox Equos viginti curſibus Equitum paratos, Agaſones duo vtrimque regebant binos & binos.

La Nouë, & Givry. Accedebant Noæus Majori Regis Equili Præpoſitus: Gyvrius Minori. Ille Nobiles Pueros, qui pictas dextrâ gerebant Haſtas, præceſſerat; quorum in equis exultantium, Scutarij duo, iter atque impetum dirigebant. Iſte equos quinquaginta, Regi, ſi quem conſcendere mallet, ſplendidiſſimis phaleris inſtructos, longâ ſerie circumduci curaverat. Tria deinde pulſabantur tympana, octo clangebant tubæ. Lictorum in morem famuli pedites, faſces aureos præferebant. Numeroſum, ornatúmque claudebant Agmen Bre-
Brenonville, & Vantelet. nonvillæus, ac Vanteletus, quorum alter Haſtam; alter Auguſtiſſimi Principis geſtabat Scutum, cui, pictus, pro Symbolo, erat Sol, diſcuſsâ noctis ac nubilorum caligine Cælo refulgens. Addita hæc erat Epigraphe: *Vt vidi, vici.*

Noaillio præeunte, Rex ſolus Imperatorio Quiritum habitu conſpicuus ibat, eâ oris ſpecie, eâ majeſtate, quæ totius Orbis terrarum victores deceat.

Tum crebri plaudentium, laudantiúmque toto Circo clamores ſtrepitúſque, Regem aliis indicarunt, prænuntiarunt aliis. Tunc altè inſita à Natura ipſa Gallorum in ſuos Principes pietas, quam auxit tot, tantarúmque Virtutum LVDOVICI reverentia, in admirationem, acclamationéſque erupit. Martem adhuc & bella ſpirantem in otio Heroem mirabantur omnes, qui Victoriarum ſuarum impetu remiſſo, vt ſuos ſublevaret, Pacem nuper juraverat. Futuras rerum omnium copias, Imperiíque decora, Virtutis
Salins, & Tailloüet. Vidaud, & Beaumont. Les Comtes de Vivonne, & de Saint Agnan. Le Duc de Navailles. Les Comtes d'Armagnac, du Lude, de Louvigny, & de la Fueïllade. Les Marquis de Villequier, & de Richelieu. Le Comte de Duras. Le ſieur de Louviers. ac Sapientiæ matureſcentes fructus; réſque altâ adhuc caligine merſas, ſuo quiſque animo volutabat. Mox gaudij admirationiſque motibus accenſi in vota, gratéſque; plauſus ac clamores excitabant, inconditos quidem, ſed omnibus Poetarum, Oratorúmque modulis longè ſuaviores.

Duo Regem anteibant Scutarij, Salinus, & Tailloüetus; duo ſequebantur, Vidaudus ac Belmontius; Prætorianorum militum Vexillarij. Lectiſſima deinde nobilium Equitum manus, qui laudem & palmam ambirent, proceſſit. Ij erant Comites Vivonus, Sant-Agnanus; Dux Navaillius; Comites Armagnacus, Ludæus, Lovignæus, Fueïlladius; Chlamide omnes Latiâ, priſcíſque Romæ ornamentis inſignes. Marchiones Villequierus, Richeliúſque, Coméſque Duraſius, qui denum implere numerum debuerant, eo tempore, adverſâ valetudine utebantur. Rex ipſe, Armagnacus, ac Sant-Agnanus, in eorum locum ſuffecti, abſentium curſus inivêre. Poſtremus aderat Louverius Armiger, qui Regis Enſem deferebat: quadraginta Satellites iuxta, & Ephebi, Equitum Haſtas & Scuta ferentes.

Cùm inceſſu compoſito Amphitheatrum extra carceres obiiſſent, & ſub oculis Reginarum

narum magnificæ Turmæ Pompam omnem explicuiſſent, quaſi lunatâ acie, in Curriculum ſubeuntes, conſtitêre; ne Circi aditus, quos deinde erant occupaturi, cæteris intercluderent.

Succeſſit ſtadio Aurelianenſis Ducis Turma, Perſarum in morem inſtructa, Tympano uno, duabúſque Tubis ſonantibus. Equi, ut ſuprà, viginti in uſum decurrentium, ferociter ac lepidè quandoque reluctantes, preſſis habenis ab Agaſonibus regebantur. Scutarij munus obibat Desbordæus, apud Ducem Aurelianenſem Equitator, jaculum manu præferens. Scutarius alter, Ephebi ſexdecim ſequebantur; ductíque ad pompam, Principis Equi, quatuor ſupra viginti; duo Tympaniſtæ; Tubicines quatuor. Mox Satellites viginti quatuor, manu alterâ Secures ac Faſces, alterâ Arcus, humeris Pharetras geſtantes præterierunt. Nec longè aberant Gaſſionus ac Blanquetus, Ducis Armigeri; cujus ille Haſtam, Scutum iſte ſuſtinebat, in quo deſcripta erat pro Symbolo Luna, cum hoc Lemmate: *Vno Sole minor.*

Le Sieur des Bordes.

Gaſſion & Blanquet.

Perſarum opes, luxúmque omnem expreſſerant, intexto, Phrygionum induſtriâ, puniceis veſtibus argento; quibus Inſignibus agnoſci optaverant.

Antecedente Marchione Vardæo, Dux ipſe emicuit Perſarum Imperatorem agens, cujus Palla tota carbunculis effusè nituit. Ornamentis ipſe ſuis, eleganti quadam & egregiâ oris dignitate, decus ac ſplendorem addiderat.

Comitabantur Equites decem, Marchio Villaregius, Comes Pleſſæus, Marchio Bellefontius, Rohannæus Eques, Comes Liſle-bonæus, Princeps Marcilliacus; Comites Fuxenſis, Cleræus, Vaillacus; Marchio denique Illierius. Stipatoribus quiſque quatuor utebatur; duobus honorariis pueris, qui Scuta, & Haſtas opportunè porrigerent.

Le Marquis de Villeroy. Le Comte du Pleſſis. Le Marquis de Bellefons. Le Cheva-lier de Rohan. Le Comte de Liſlebonne. Le Prince de Marcillac. Les Comtes de Foix, de Clere, & de Vaillac.

Atque ij dum orbem ſuum conficerent, prodiit Condæi Turma, quæ tertia; Turcarúmque Gentem exhibuit.

Tympaniſtes unus; duo Tubicines; Equi deinde ductitij viginti; Armiger unus atque alter; Ephebi duodecim; Equi Principis viginti quatuor, quorum famuli pedites inceſſum componerent; Tympanorum pulſatores duo; Tubicines quatuor; Satellites Securi & Acinace inſtructi, quatuor ſupra viginti; auro, argentóque tecti omnes, Lunis ſubinde argentea cornua exerentibus, plumíſque albis, nigris, cæruleíſque inſignes proceſſerant. Eodem habitu Armigeri, ſui Ducis Haſtam, Scutúmque prætulerant, in quo depicta erat curvatis cornibus Luna, cum hac Epigraphe: *Creſcit ut aſpicitur.*

Le Marquis d'Illiers. Le Duc de Luxembourg. Le Prince de Condé. Le Comte de Séry. Le Marquis de Soyecourt.

Poſt Luxemburgenſem ibat Condæus, Turcarum Imperatoris cultum ac ſpeciem præ ſe ferens. Ibat egregius ornatu, habitúque Bellator.

Le Comte de Sault. Le Duc de Boüillon.

Sibi in pugnæ palæſtricæ ſocios adjunxerat Comitem Seryæum, Marchionem Soyecurtium, Comitem Saltenſem, Buillonium Ducem, Marchiones Carmaſellum, ac Gamachæum; Bethunium Equitem; Marchiones Peguilinum, Coaſlinúmque. Luxemburgenſi, pro curſibus, Seryæus eſt ſubſtitutus.

Les Marquis de Charmaſel, & de Gamache. Le Chevalier de Béthune. Les Marquis de Péguilin & de Coaſlin.

Satellitibus quique ſuis atque Ephebis ſtipati, qui Haſtas & Scuta, ubi uſus eſſet, ſuppeditarent.

Continuò Indi acceſſerant, quibus Anguienus imperabat. Idem ordo, idem ac in ſuperiori Turma numerus Equitum, Equorúmque. Gemmis, coralliiſque intermicabant Ephippia. Nigro, croceo, albóque colore, velut teſſeris ſuis, ea Gens notabatur. Stipatorum arma; Arcus, Enſéſque. Adoleſcentuli Pharetras humeris, gemmâ atque unione diſtinctas, appenderant. Lucidum in Stemmate Sidus, cum hoc Hemiſtichio Pictor expreſſerat: *Magno de lumine lumen.*

Le Duc d'Anguien. Le Marquis de Canaples. Le Chevalier du Pleſſis.

Duce itineris Caſtrorum Præfecto, Circum ingreſſus Anguienus, ſuâ vultus dignitate ac gratiâ, & originem & ſpes futuras indicavit; ut in ipſo corporis habitu, Patrios animos ſpectator quiſque introſpexerit.

Le Marquis de Ienlis. Le Comte de Guitaut. Le Marquis de Monpezat.

Æquis inter ſe ſpatiis equitabant, Marchio Canaplæus, Pleſſæus Eques, Marchio Ianliſius, Guitautus Comes, Marchio Monpezatius, Nivernenſium Dux, Roïus Comes, Sullius Dux, ac Doüaillyæus; qui famæ, ut par eſt, cupidi, Indorum ſimiles divitias exprompſerant. Marchionis Humierij abſentis vices ſuſcepit Anguienus.

Le Duc de Nevers. Le Comte de Roye. Le Duc de Sully. Le Sieur Doüailly.

Gens tandem Americana, Ductore Guiſio, omnium in ſe animos, oculóſque conver-

Le Duc de Guiſe.

tit. Lepidum herclè ſpectaculum præbuêre Equi, Leonum, Pardorum, Tygriúmque exuviis phalerati. Incultos barbaræ regionis Populos Tympaniſtes primus, & Agaſones deinde quidam imitabantur. Satyros, Agaſones alij ſimulabant. Tympaniſtæ, Tubicinéſque alij Tritonum erant ſimiles. Dicas relictis conchis, ac littoribus ſuis ad Ludos exiliiſſe. Bacchantium veſtitu, ac ritu Ephebi ſubſultim equitabant. Satellitum alij, hirſutis Vrſorum pellibus incluſi, rictu patulo, arrectíſque unguibus, ferarum more, ducebantur. Quos quidem hiſpidos, horrentéſque, alij ſervorum ſimiles, Simióſque humeris geſtantes, nexibus implicitos retinebant. Scutum ferebatur, in quo proſtrata Tigris, freménſque ſuper impactis unguibus Leo viſebantur; cum hoc ſpei, ac fiduciæ titulo: *Altiora præſumo.*

Le Chevalier d'Harcourt. Les Marquis de Rochefort, Plumartin, la Chaſtre, Ragny, Mirepoix, Vervins, Bevron, Tury. Le Duc de Briſſac.

Caſtrorum Præpoſitum Fauni duodecim ſequebantur, qui Lituorum Muſicorum concentu aures adſtantium demulcerent. Draconis ſpolio tectus Guiſius eminebat, vultu, habitúque ad militarem audaciam, & urbanam elegantiam compoſito. Suum in Circo Ducem comitabantur, Harcurtius Eques, Marchiones Rupefortius, Plumartinus, Caſtræus, Ragnius, Mirepicenſis, Vervinus, Bevronus, Turius, Dúxque Briſſacus.

Cùm ritè ac decenter ſuum curſum eæ Turmæ peregiſſent; æquis omnes paſſibus illuc proceſsêre, ubi Præfecti ſua Caſtra deſcripſerant. Perſæ ad dextram ineuntis Amphitheatri partem; Turcæ ad lævam ſubſtitêre. Indi è regione Turcarum, iuxta Reginarum Theatrum. Americani ex altera parte, Perſas adverſos ſpectabant. At Regia Romanorum Cohors, Curriculo, cui ſe incluſerat, vt cæteris liberum iter relinqueret, excedens; ad ipſas Circi fauces ordine ſuo ſe collegit.

Exſpectatum aliquandiu à Decurſoribus Signum; à ſpectatoribus optatum. Hærebat quiſque, jámque animo fingebat, quò ea ſpecies rerum, ea ornamentorum pretia, ij motus tenderent; gaudebátque tot Procerum artes mirari, quorum bellica, elegánſque forma ſpes multas induxerat virtutis, atque induſtriæ ſingularis.

At, quoniam luxus, & ingenioſa Veſtium conformatio, præcipua eſt hujuſmodi Spectaculorum Pompa: non abs re quidem viſum eſt, Ornatus cujuſque gratiam diligenti, accuratóque ſermone perſtringi; rerum etiam imagines inſculpi, quas invenit, delineavit, & excudendas curavit Gyſſeyus Delineator Regius.





SVMMVS CASTRORVM PRÆFECTVS GRAMONTIVS.

ROMANORVM more ornatus, Chlamidem induerat ſericam, ſandarachino, ſive igneo colore imbutam; auro, argentóque, Phrygiis artibus, intertextam.

Ejuſdem operis, ejuſdem coloris Cothurnos pedibus induxerat, intermicantibus ubique Pyropis.

Gemmis nitebat Caſſis, Plumarum ſupra rubeſcentium congerie inumbrata, quarum velut è ſinu, nigra Erodij criſta, in apicem excreverat.

Indicem Poteſtatis ac Præfecturæ baculum aureum dextrâ præferebat.

Argenteo, avreóve ſtamine Equum ſtrauerat; inſertis Aquilarum figuris; Caudámque ejus, pexóſque Crines profuſis vittarum nodis implicuerat.



Prima Turma.——

F. Chauveau deli. et sculp.

TYMPANOTRIBÆ ROMANI.

AVREAM Capiti Galeam aptaverant, undanti Plumarum apice insignem.

Argento textili elaboratam Vestem, acus Phrygia auro descripserat, adsutásque ex rubente serico fascias, circumducta argenti fila depinxerant.

Pari nitore, pari artificio Manicæ, Sagulúmque; defluentésque Laciniæ fulgebant.

Leucophæo, sive cinereo colore Tibialia serica, argenteæque Ocreæ, aureis identidem segmentis distinctæ, Cothurnorum instar, suras incluserant. Eo, singuli, qui Romanam agebant Pompam, Calceatu utebantur.

Ex denso, tersóque serico, humeris Pallium dependebat, auro textum, argento subsutum.

Equorum Phaleras, ac stragula multo Phrygiones & Aurifices opere instruxerant.

Tympanorúmque Vexillula, flammeo colore, insertísque auri argentíque ornamentis micantia, fictæ ex auro Aquilarum Effigies exornabant.





ROMANI TVBICINES.

PRo Caſſide, ducto in Leonis roſtrum auro, caput præcinxerant; addito Plumarum deſuper fluitantium cultu.

Thoracem argenteum induerant, circumfusâ auri ſquammati faſciâ textili.

Eodem ferè ornatu Sagulum tæniis decem aureis tectum effulſit.

Thoraci adnexæ breves Manicæ, aliæ deinde longiores, laciniæque: ſericæ multo auri argentíque opere decorabantur; quibus adſcititium argenti textum ſubſutum erat.

Idem in Equorum Phaleris, ſtratíſque color; pannus idem adhibitus eſt; deſcriptáque ſuper, auro argentóque tænia, in lacinias, fimbriáſque ſecta deſinebat.

Antilenæ, Poſtilenæque larvarum vultibus, Aurificum operâ effictis, & ipſæ Equorum Jubæ argenteis Faſciolis revinctæ mirificè ornabantur.





LICTORES ROMANI.

FVLGENTEM auro argentóque Galeam, Plumis ſupra flammarum inſtar ardentibus decoram, induxerant capiti. Pectori Thoracem argento textum, quem acus ſuperductis auri operibus pinxerat, quem deinde Bombicinum Cingulum ſquammis aureis diſtinctum revinxerat.


Auro Humeralia, Faſciæque turgebant.

Sericas Manicas, Sagulum ſericum, ſuis ſecta laciniis, fimbriiſque in campanulas deſinentibus; minium tinxerat, prætexuerat aurum, argenteæ aureæque Tæniæ percurrerant.

Auratos cum ſuis catenulis Acinaces lateri accommodaverant, quorum vaginæ rubro ſerico, inſertíſque auri fragminibus micabant.

Faſces gerebant aureos argento innexos.

Cothurni eorum ſerici, aureis Larvis ornabantur; quorum inverſa facies, argentum textile.






EQVVS DVCTITIVS, HIPPOCOMI ROMANI.

SERICA Equi Stragula nituêre, quæ multo Gemmarum tractu, multo auri argentique artificio insignes Tæniæ circumscripserant, brevibus Laciniis fimbriatæ, expressis Aurificum operâ larvis instructæ ; pendentibus elaborati auri laminulis hinc, inde quatuor. Auream expansis pennis Aquilam volitanti similem Phrygio effinxerat. Frontale quidem Lorum, & Ampicem quæ Capronas premebat, inumbraverant Plumæ. Putes non arte adnexas, sed à natura ipsa ingenitas ; adeò enim cohærent, adeò in cristas aptè exsurgunt ; ut non hominum opus, sed nativum quoddam quadrupedis ornamentum esse credideris.

Hippocomorum cultus, argenti textilis quoddam velut indusium, crispati auri lineis exaratum ; cujus fluentes sinus serica fascia argento intertexta, medio propè corpore colligebat. Alterum deinde Cingulum auri filis implicitis æquè ac extremæ Manicæ, refulgebant.

Pileus denique sericus, auro argentóque segmentatus, plumatilis Cristæ apicem sustentabat.





EPHEBI ROMANI.


PILEVM ſericum aureis argenteíſve ſegmentis variatum gerebant, proprio cultu, ac ſingularibus ſuæ Turmæ coloribus uſi; niſi quòd Attalicam Veſtem, argento in ſquammas lævigato ſpeciosè contextam, induerant.

Laciniæ tum è Manicis, tum è Zona defluebant ſquammatim ſectæ; ſerico aurum argentúmque acceſſerant.

Inferiores Manicæ aureo Stamine deductæ, Armilláque artis eximiæ revinctæ, in argenteas Maniculas foliatim cæſas deſinebant.

Serico Ephippia, inſertóque auro fulgebant.

Haſtas alij, alij Parmas Symbolis ac Lemmatibus depictas inſcriptáſque deferebant.





ROMANVS CASTRORVM SVBPRÆFECTVS.

ARGENTEA Caſſide caput preſſerat; aurum additum, Plumæque inſuper.
Thorax argento textili, adjectis Squammati auri operibus.

Sagum, Manicáſque multæ opes, multa ornamenta locupletaverant. Latáſque Fimbrias Attalico texto, opere Phrygio acus induſtria circumduxerat.

Inferiores Manicæ auri argentíque mixturâ, parique contextu phaleræ, ac ſtrata refulſerant.

N



ROMANVS CASTRORVM PRÆFECTVS.


GALEAM ex auro argentóque ſibi paraverat, plumarúmque in vertice decus adjecerat.

Thoracem, Laciniáſque, aurum ſuperfuſum, longíque Gemmarum tractus, decoræque tæniæ ornabant ſplendidiſſimè.

Inferior, ſuperiórque Manica, Sagúmque ipſum albo ſerico Phrygionicè picto nitebant.

Cothurni argento texti, non ſine multo Aurarij Textoris opere, atque artificio.

Equo rubeſcentes injecerat Phaleras, & ſuo ſimilem ornatum, niſi quod extrema Ephippia, expreſſa auro Leonum roſtra continebant.



REX
ROMANORUM IMPERATOR.

SVVM Rex habitum, cultúmque, ad Imperatoriam Cæsarum Majestatem composuit. Thoracem argento textili compactum, intertextum auro induerat, qui ad humeros imúmque thoracis pulvillum, aurei staminis squammis præfiniebatur. Phrygiis operibus inserti passim, pretio & pondere singulari Adamantes; alij deinde longâ serie, quodam quasi limbo, omne opus incluserant. Quà pectoralis fascia, auro, & multâ gemmarum congerie nitens, desinebat; fibulis adamantinis humeralia utrimque committebantur; è quibus laciniæ hinc, inde defluebant pensilibus gemmis prætextæ. In medium ferè pectus, altera inciderat, eodem & pretio & numero Adamantum onerata lacinia.

Thoracem ornatissimum tres circumdederant zonæ, quæ licèt texto atque artificio pretiosæ, Adamantum nodis centum & viginti splendidæ, tribus ante pectus fibulis adstringebantur. Aurum tegebat Gemma, additæque opes opibus multum addiderant rerum pretio; nihil detraxerant ordini, atque elegantiæ.

Extremum sagulum materiâ, operéque magnificum, aureæ, ut suprà, squammæ descripserant, cum suis quæque fimbriis incisis.

Attextæ humerorum pectorisque tegumentis laciniæ, aurum erant, auróque incluſus Adamas.

Adnexæ catenatim Gemmæ duæ suprà quinquaginta manicas compresserant, quas suprà squammis ornatas aureis, auróque textas, unionum globuli duo & viginti obiverant. Inde undatim exuberans manica, textili argento profluebat; quæ postremò in brevem orbiculum desiit auro prætextum, & pugillari Adamantum armillâ collectum.

Cingulum, quatuor suprà quinquaginta Adamantibus catenatim junctis compactum, extremo pectori inhærebat.

Regio capiti cassidem argenteam induxerat, quæ auro in folia secto ornabatur. Adamantes crebri, sed ordinati, suis locis affluebant. Duo singulari pretio ac magnitudine, in fronte innumeri deinde in nodos complicati, aut vtrimque micabant, aut circumductum cassidi cingulum ornaverant. Fluctuabat suprà plumatilis crista, è qua velut erumpentes Erodij in apicem exsurgebant.

Argenteas ocreas acus auro retexuerat, aureæque fasciolæ crebris orbibus implicitæ revinxerant. Squammato opere, texto aureo, crebris Adamantibus inversa ocrearum facies splendebat. Tibialia è rubro serico suras incluserant.

Tanta lapillorum vis ensi affusa erat, ut aurum & tegeretur, & vilesceret.

Fulvo Rex Equo vehebatur, cujus ingenitam ferociam ipsa ornamenta Principis auxerant. Ibat composito gressu, sui sibi oneris, suæ sibi pompæ velut conscius quadrupes. Purpurâ auro, argentóque descriptâ micabat Ephippium. Cervicem, latera, pectus, tergum, aureæ fasciæ argento retextæ ornaverant; quæ rubris vittarum nodis, & Adamantum quasi fibulis invicem nectebantur. Duæ à tergo simili opere ac luxu breves laciniæ, fimbriarum instar, dependebant. Supra singulos autem igneſcentes vittarum nexus, in omnibus phaleris textili serico, auríque, argentíque, Adamantúmque luxu tæniæ collectæ fulgebant. Equi cauda pari cultu affluebat.

Supernâ cervicalis lori parte, plumatilem cristam insigne adamantinum stringebat. Inde, Ardearum instar, exibant cristæ adamantinæ quatuor: quas alia deinde supereminebat. Totus pellucebat ornatus ille, centum quinquaginta pensilibus Adamantum globis compactus.

Cultu simili habenæ, pedulum lora, & ea quæ auribus erat circumvoluta nitebant, auro scilicet, argento atque Adamantibus arte singulari intextis.

DVCTORVM EQVITVMQVE QVINQVE TVRMARVM SYMBOLA AC LEMMATA.

PRIMÆ TVRMÆ SYMBOLA.

PRIMVM SYMBOLVM REGIS.

SOL: CVM HOC LEMMATE,

VT VIDI, VICI.

Nullum aptius Regis Symbolum, hominum ingenio Natura ipſa ſuppeditet, quàm Solem ſuum. Varia enim eſt Regis Maximi, cum ſplendidiſſimo Sidere ſimilitudo. Ea tamen præcipua eſt. Ubi Sol refulſerit, noctis caliginem diſcutit, vel opacas, atráſque nubes Cælo depellit: ita aſpectu ſuo LVDOVICVS, ortas, imminentéſve rerum tempeſtates aut avertit, aut ſerenat; hoſtéſque Imperij præſentiâ ipſe ſuâ terret, & cohibet. Quod quidem iſta indicant verba: VT VIDI, VICI. Quæ Julij Cæſaris fiduciam, dictúmque illud celebre in mentem revocant: *Veni, Vidi, Vici.*

II. SYMBOLVM VIVONNI COMITIS.

Le Comte de Vivonne.

Igniarium Speculum,

cum hac Epigraphe,

TVA MVNERA JACTO.

Solis radios, igniarium Speculum, orbe ſuo nec includit, nec retinet, ſed repercuſſu crebro diſpergit; lucémque acrius etiam remittit, quàm ipſa emittitur. Illud in teſſeram grati, memoríſque animi Vivonnus aſſumpſerat, quippe qui accepta à Principe beneficia vbique jactet, & in Authorem quodammodo ſuum refundat.

III. SYMBOLVM COMITIS SANT-AGNANI.

Le Comte de S. Agnan.

Laurus Soli expoſita,

cum hoc vocabulo,

SOLI.

Laurus bellicæ virtutis merces, inclytarum Corona frontium, Heroum præmium ac decus, victoriæ ornamentum eſt, & Symbolum, quo ſtrenuus Eques, ſoli ſe Regi ſuas lauros affirmat eſſe decerpturum. Vni ſe devotum, addictúmque probat: & quemadmodum Regem victoria præ cæteris colere ac ſequi, numquam ab illo deſciſcere ſtatuit; ita ille Regem vnum reſpicere, huic ſe vni obſequi velle profitetur.

IV. SYMBOLVM NAVAILLII COMITIS.

Le Comte de Navailles.

Aquila Solem ſpectans,

cum hoc verbo,

PROBASTI.

Dum ſuos Aquilæ pullos probant, ardentibus Solis radiis ſolent objicere, atque ita generis ſui fidem explorare, vt ea demum vera ac genuina Soboles eſſe cenſeatur, quæ ſuos in hoc Sidere oculos defixerit, atque irretortâ acie ſcintillantes ſuſtinuerit radios. Probatum ſe Navaillius Regi confidit; & in iis rebus quas ſuſceperit, quas gloriosè geſſerit, obſequii ſui fidem exiſtimat eſſe perſpectam.

V. SYMBOLVM ARMAGNIACI COMITIS.

Le Comte d'Armagnac.

Laurea Corona,

cum hac Epigraphe,

HINC LABOR, HINC MERCES.

Quadam virtutis ſuæ fiduciâ, victoriam ambit Armagniacus, quam lætâ coronæ imagine exhibet adumbratam. Non defuturam aliquando votis, conſiliis, factiſque ſuis ſperat. Vtque in ea ſpes omnes ſuas, labores, curaſque eſt poſiturus, ita hinc emerſuram ſibi, laudis & gloriæ ampliſſimam mercedem intelligit.

VI. SYMBOLVM

Le Comte du Lude.

LVDÆI COMITIS.

Sciatericum Horologium,

cum hac ſententia,

TE SINE NOMENINERS.

Quamquam aptè, ac concinnè diſpoſitum Solarium, ſeu ſciatericon Horologium, ſine Solis aſpectu, tempora non deſignat; iners Machina, & inanibus lineis interpuncta. Ita, quantâ ſit iſte, virtute, atque induſtriâ Eques præditus, tanti ſe fieri poſſe putat, quanti eum Rex æſtimaverit; inertem, vanamque virtutem eſſe profitetur, niſi Principis gratiâ foveatur.

VII. SYMBOLVM

LOVIGNÆI COMITIS.

Le Comte de Louvigny.

Jaculum terræ infixum,

Lemma erat,

CERTASSE JVVABIT.

Vt paratum pugnæ Jaculum eſt, licet altâ humo defixum deſidêre videatur; ſi qua intorquêre manus, ſi quis miles velit arripere. Ita Martem ſpirans, & bellicarum artium cupidus Lovignæus, ſi quà pro Rege, Regnoque pugnandi occaſio ſe dederit, promptum ſe, paratumque palam ſignificat.

VIII. SYMBOLVM.

Le Comte de la Feüillade.

FEVILLADII COMITIS.

Heliotropium,

cum hoc verbo,

VNI.

Cui non notus hujus floris in Solem amor? Quoquò, dum ſuum curſum peragit, Cælo volvitur ſplendidiſſimum Sidus, eò flos etiam, ſuis licet hæreat altè radicibus, propenſo vertice quaſi venerabundus vertitur. Hac veluti teſſerâ ſuum obſequium, ſuam Eques iſte fidem explicat, quâ ſe Regi adſtrictum ſentit; cujus juſſa capeſſere, cujus vnius arbitrio, ac nutu moveri poſtulat.

IX. SYMBOLVM

MARCHIONIS VILLEQVERII.

Le Marquis de Villequier.

Aquila expanſis alis volitans,

hæc inſcriptio,

VNI MILITAT ASTRO.

Aſſueta fulmen deferre Aquila, non alio ſe onere impediat; & ſummo Jovi miniſtrans, non ſit alterius Numinis ales armiger. Non aliter Regis præſidio, ac cuſtodiæ addictus Villequerius, huic vni curas ſuas, vigiliáſque omnes impendit, quem vnicum fortunæ ſuæ Arbitrum, Authoremque agnoſcit.

X. SYMBOLVM

MARCHIONIS RICHELII.

Le Marquis de Richelieu.

Igneum Miſſile,

addita hæc erat Epigraphe,

ARDO PARA SVBIR.

Siquando ſulfureo Miſſili facem ſubdideris, ignem excipit, accenditur, erumpit, Cæloque, vi ſuâ tollitur. Sic gloriæ cupiditas, quâ totus inardeſcit Richelij animus, ad ardua jam vltrò properantem concitabit; ſurget quò virtus Heroas vocat, ſuoque igne ſuccenſus, ad ſublimiora contendet.

XI. SYMBOLVM

DVRASII COMITIS.

Le Comte de Duras.

Solem inſpiciens Leo,

cum Italico Lemmate,

DE TVOI SGVARDI, MIO ARDORE.

Calidiſſimis terrarum Plagis Leo delectatur; & quantùm Solis radiis accenditur, tantùm animo, ac pectore exæſtuat. Ita egregii Equitis virtus læto Principis aſpectu acriùs incitatur.



Secunda Turma.

F.C. deli. et sculp.

TYMPANISTES, ET TVBICEN PERSÆ.

PILEVM iſti ſericum, Puniceo colore tinctum, intertexti argenti lineis deſcriptum, maculosâ Muris Pontici pelle ſubſutum, puniceis albíſque plumis inſignem induerant; iis enim coloribus ea Gens, in hoc paleſtrico certamine, notabatur.

Palla item ſerica rubens, tæniis albis interſecta, cui multum, Phrygionis acus, argentum inſeruerat; argentóque textili intima veſtis, ad ſuras uſque demiſſa, nitebant.

Decidentes longo tractu, ex humeris Manicæ Puniceæ, Muris Pontici pellem, adversâ facie, oſtentabant.

Adnexum Tubæ Vexillulum albente ſerico textum, purpureis, argenteíſve ſegmentis fimbriatum, retextúmque; pictum Ducis hujus Turmæ Symbolum explicabat.

Eodem ferè ornatu Tympanorum inſignia circumvoluta, licet belli ſonum ederent, Ludorum ac pompæ ſpeciem præferebant.

Equorum Phaleras Bombix texuerat, murex tinxerat, ſubſuerat Mus Ponticus, auri argentíque ſuperficiarium opus ornaverat.



STIPATORES, EQVVS DVCTITIVS, AGASONES PERSÆ.

PVNICEO, albóque ſerico, tum Stipatorum, tum Agaſonum Pileus contextus, auro argentóque tegebatur, plumatili criſta inumbratus.

Argenteo ſtamine Stipatorum pallia, tunicæque, ad genua ex humeris defluebant; quæ in ſquammas, & in laciniatas fimbrias, auro, argentóve inſtructas deſierant.


Rubro ſerico, aſſutis albis tæniolis, & ſuperductâ argenti picturâ, ſegmentatam, inſignémque Pallam induerant.


Pharetras gerebant argenteas, rubentibus metalli pigmentis, encauſtico opere, obductas.

Equi phaleras texto puniceo, multóque argenti opere ſplendidas, aureus, inſerto crebro adamante, limbus incluſerat.

E cervicibus, ad ora lupatis argenteis frænata, textilis argenti faſciæ, ſinibus nunc implicitis, nunc expanſis, excurrebant.

Iiſdem coloribus, iiſdem Agaſones ornamentis egregij, Circo ſeſe intulêre: niſi quod Pontici Muris pellem veſti ſubtexuerant; reliquo veſtitu congruentes.





ARMIGER, ET EPHEBVS PERSÆ.


BOMBICINVM capiti tegumentum, argenteis tractibus, pretioſarum pellium ſegmentis, effuſo diſcoloris plumæ apice ornatiſſimum; Armiger, & Ephebus induxerant.

Rubra Armigeri veſtis, exaratis argenti figuris diſtincta, & ad Zonam, vittarum nexibus collecta, ſubſutas cum ſuis maculis pelles detegebat.

Tunicam, ſuperioréſque Manicas, aurum, argentúmque deſcripſerant.

Phaleras Equorum; puniceum ſericum, albis tæniolis ſectum, argento pictum, Ponticis pellibus prætextum ornaverat. Quidquid aurifices, ad ornatum, adjecerant, aurum erat elegantiſſimè in varias formas conflatum.

Idem Ephebi, ac Armigeri cultus.





CASTRORVM PRÆFECTVS PERSA.

PVRPVREO ille Pileo proceſſit indutus, quem inciſum, retortúmque, argenti ſegmenta variaverant. Auro nitebat, gemmíſque; plumis etiam imminentibus decorus.

Serica veſtis, argento interſecta, percurrente Ponticæ pellis inſtitâ prætexebatur.

Tunica, inferioréſque Manicæ, multo auri artificio inſtructæ, ſuperiores, acu pictæ, ſubtexto argento micabant.

Equi cultus ſericus; opus argenteum circumquáque, Muris Pontici pellis in extremis partibus excurrebat.





DVX AVRELIANENSIS, PERSARVM REX.

ATTALICA veſtis; argento retexta, Pyropis conſita, ingentibus antè Pyroporum fibulis utrimque nectebatur: Quorum alij deinde juxtà cervicem diſpoſiti, quemdam quaſi pretioſiſſimum Torquem effinxerant: Alij circum humeros ordine ſuo collecti effusè radiabant.

Manicæ in fimbrias laciniatas deſinebant, quibus inſerti aptiſſimè carbunculi. Textiles minutis punctulis orbiculi ſerici, & carbunculorum infrà globuli dependebant. Ex iis brevibus quidem manicis, longiores aliæ, ad manuum uſque commiſſuras producebantur, in ſinus corrugatæ: ſectáque in lingulas linea fimbria armillâ ſuâ ligabatur.

Perſicam retro Chlamidem quaſi negligenter rejecerat, Puniceo ſerico textam, ſuperducto argento, crebriſque unionibus nitidam; cujus undantes ſinus ad humeros utrimque compreſſi, revinctíque; uberius deinde, laxiúſque fluentes; ornatis, ut ſuprà, laciniis fuerant prætexti.

Pileum capiti, velut Perſicum Diadema impoſuit, ſerico, argentóque intertextum; ſectâ in ſquammas aureas, tæniâ; limbóque Pyropis, atque unionibus deſcripto inſignitum. Ingenti ſuperiùs carbunculorum globo innexa plumatilis criſta, rubros, albóſque apices bellè confuderat.

Cinereo colore tibialia ſerica, eodem opere, eodem, ac veſtis, panno, ocreæ ſuras incluſerant, quarum ſumma pars ſinuoſo argentei texti volumine congeſtíſque carbunculis effulſerat. Cothurnorum inſtar, rubentibus illæ faſciolis ſegmentatæ, argento, vittíſque diſcoloribus nectebantur.

Bombicino, argenteóve cultu, Equi Ephippia, nitebant; inſertis etiam ſingularis pretij, atque eximiæ magnitudinis lapillis. Phaleræ ad Equi Ilia decidentes in orbem penè deductæ, Pyropis atque unionibus diſtinguebantur; vittarúmque nodis Puniceis, albíſque conſtabant, ita tamen ut iis nexibus non tam premi, aut committi; quam ornari omnis ille apparatus videretur.

Equi frontem, innexus loris, carbunculorum globus, ſcintillantibus flammis illuſtrabat. Frænorum umbones, ramíque, eodem luxu ſpectabiles. Lupatum, Peduliáque argentea, Pyropis quoque radiabant. Habenæ ſericæ attexto argento, ſuum ipſæ etiam decus, ſua ornamenta adjecerant.

SECVNDÆ TVRMÆ
SYMBOLA, AC LEMMATA.
PRIMVM SYMBOLVM
VNICI REGIS FRATRIS.

Monſieur.

Luna pleno, perfectóque orbe,

cum hac Epigraphe,

VNO SOLE MINOR.

Quemadmodum pleno dum orbe, Luna Cælo refulſerit, reliqua noctis ſidera magnitudine, ac ſplendore longè ſuperat, ut uno quidem Sole minor eſſe videatur: Ita Aurelianenſis Dux ſupra omnium ſortem ac fortunam evectus, uni fratri ceſſerit. Atque eo Symbolo utitur, tum ut ſuum ordinem, ſuam exprimat dignitatem ; tum ut aptiùs Perſarum Regis perſonam gerat, qui cùm eſſet Regum omnium, ſuo judicio, maximus; unum ſibi ſuperiorem eſſe Solem, quem coleret, profitebatur.

II. SYMBOLVM
MARCHIONIS VILLAREGII.

Le Marquis de Villeroy.

Circumdatum lauro Jaculum,

Lemma erat,

NON SINE GLORIA CADET.

Jaculum hoc, quoquò intorqueatur, ſeu metam attigerit ; ſeu inane, & ſine ictu deciderit: ſuas ſecum lauros trahit ac retinet. Non aliter, quocúmque Villaregium militares curæ vocaverint, eò iturum ſe aſſerit, duce ac præſide gloriâ, quam lauro expreſſit. Nec ſine laude rediturum confidit, ſive res ex voto ſucceſſerit ; ſive rerum fortuna fefellerit.

III. SYMBOLVM
COMITIS PLESSÆI.

Le Comte du Pleſſis.

Flamma,

ita inſcriptum,

AB OBICE MAJOR.

Ignem naturâ ſuâ, atque impetu ad altiora nitentem velis compeſcere ; ruptis obicibus acriùs exarſerit: quò arctiùs premitur, eò erumpit vehementiùs. Sic animum amoris, laudíſve cupiditate accenſum, numquam à propoſito dimoveris, nequidem flexeris. Coercêre qui tentaverit, incitabit. Neſcio enim quo fato creſcunt ipsâ rerum difficultate hominum deſideria.

IV. SYMBOLVM
MARCHIONIS BELLEFONTII.

Le Marquis de Bellefons.

Apicula florum aream pervolitans,

hæc erat Epigraphe,

VNA SIN MAS.

Poſtquàm aream omnem exploraverit, omnes delibarit floſculos Apicula, uni tandem inſidet, atque immoratur. Ita licèt ſingularis ſit hujus Equitis, in omnes ſpectatæ formæ, ac virtutis fœminas, reverentia, & officioſa vrbanitas ; unam tamen præ cæteris colit, cui ſuas curas, ſuam fidem, ſuum denique pectus devoverit.

V. SYMBOLVM
EQVITIS ROHANNÆI.

Le Chevalier de Rohan.

Lauri ardentibus prunis impoſitæ,

cum hoc dicto,

ARDER, Y CALLAR?

Flammam hanc Amoris eſſe, vel Gloriæ, ut lubet, putaveris, numquam tacitè ardebit Rohannæus. Seu virtutis, ac rerum geſtarum famam latè protendere, ſeu ſuos puellæ quam amaverit, ignes explicare, occaſio ferat: tam à ſe alienum putat vri & tacêre, quàm à laureis frondibus, quæ ardentibus favillis impoſitæ, crepitant, multóque cum ſtrepitu in cineres abeunt.

VI. SYMBOLVM
COMITIS LILEBONÆI.

Le Comte de Liſtebonne.

Fax per diem accenſa,

additum hoc Lemma,

NOLLEM CESSISSE MINORI.

Accenſæ facis ſplendori, nullum niſi Solis ipſius lumen officit. Noctis ſidera non delent hanc lucem. Ita ſervire ſe Regi quàm libentiſſimè, egregius Eques palàm indicat. Eos verò honoris ac gloriæ impetus, eos animos ſentit erumpere, ut ne alteri quidem ceſſurus ſit.

VII. SYMBOLVM
MARCILLIACI PRINCIPIS.

Le Prince de Marcillac.

Magnam emittens flammam fornax,

Epigraphe,

PIV NE COPRE, CHE NE SCOPRE.

Quantus, quantus ſit Amantium ardor, prudenti ſilentio cohibendus: viros enim ingenuos decet amorem ita ſuum ſubindicare, ut ſi quid exciderit, plus tamen alto ſub pectore preſſiſſe videantur. Id ea fornax exhibet, quæ licet flammam aliquam quaſi furtim emittat, ignium ſuorum vim intus cohibet, plúſque tegit, quàm proferat.

VIII. SYMBOLVM
COMITIS FVXENSIS.

Le Comte de Foix.

Scutum ſine Symbolo,

inſcriptum erat,

COSI VVOL AMORE.

Eorum qui amant, plerique ſuis teſſeris, atque inſignibus, amorem ſuum explicant, quódque erat ſatius in ſinu, ac receſſu pectoris condere, in lucem proferunt jactabundi. Amat iſte ſine faſtu, ſine oſtentatione, neque ignes ſuos ambitiosè exprimit. Vritur tacitus.

IX. SYMBOLVM
COMITIS CLERÆI.

Le Comte de Clere.

Ingens flamma,

hæc verba addita,

FELICITER AVDAX.

Motu ſuo ſurſum flamma impellitur, & nuſquam depreſſa reſidet; ſed felici audaciâ erigitur. Ita Cleræus, quo eſt animi robore, atque præſtantiâ, tum de hoſtibus, tum de æmulis, ac rivalibus triumphaturum ſe non deſperat.

X. SYMBOLVM
COMITIS VAILLACI.

Le Comte de Vailhac.

Erumpens flamma,

ea erat inſcriptio,

NE FREN, NE TEMPO.

Vt obvios quoſque obices flamma erumpens perfringit, & excutit, latéque fundit incendium, & ſibi aut quærit, aut miniſtrat alimenta: Sic præſtans virtute animus non remittitur, ſed novis conſiliis ſemper inſiſtens, vincendi occaſiones aut captat, aut excogitat.

XI. SYMBOLVM
COMITIS ILLIERII.

Le Comte d'Illiers.

Miſſile ſulphureum igne accenſum,

Lemma,

POCO DVRI, PVR CHE M'INALZI.

Non diu quidem igneum Miſſile permanet, ſed quamdiu ſteterit, continuò fulgurat, continuò ardet, continuò in Aëra rapitur. Brevem Illierio Dij vitæ curſum dederint, nimirum, non ſatagit multum vixiſſe, dum ſplendidè vixerit; nec quàm longam, ſed quàm glorioſam vitam duxerit, curat.



Turma Tertia.

F.C. deli. et sculp.

TYMPANI PVLSATOR, TVBICENQVE TVRCÆ.

TIARAM isti, pro consuetudine gentis, argento textam, serico cæruleo virgatam induxerant capiti; cujus quidem inversa segmenta serica, argento, acus Phrygia pinxerat.


Triplici ordine, ac colore cristam extulerant; & nigri, cærulei, candidíque plumarum globi, velut gradatim eminebant.

Cæruleam vestem induerant, nigris tæniis subtextam, argenteâ fimbriâ obductam, argenteóque stamine subsutam.

Tunica, intimæque Manicæ, ex albo serico, fasciatim auro intertextæ.

Cothurni cærulei terso densóque serico textiles; tum albis, tum nigris tæniolis distincti, elegantem pedibus cultum addiderant.

Equi Phaleræ, & exigua Tympani, Tubæque vexilla, cæruleo etiam bombicino ficta, nigris segminibus, inserto auro nitidis, incisa erant. Argentea Lunarum Cornua pulcrâ serie refluebant, pendebántve.





STIPATORES, EQVVS DVCTITIVS, EQVISONES, TVRCÆ.

GALERVM Turcicum, argento textili circumductum, auri crebris tractibus descriptum, cæruleo subsutum serico, eximiisque retexti argenti operibus insignem, ij sibi imposuerant, barbaræ Gentis ferociam bellè, ac speciosè simulantes. In fronte, argentea prominebat Luna, quæ curvis cornibus speculum complectens; aureisque, argenteisque squammis circumfulgens, decidentem longo tractu plumatilem cristam retrò emisisse videbatur.

Cærulea vestis, assutis nigri serici segmentis; auro argentóque fimbriata, pictáque ad suras usque demittebatur; mox ad cingulum utrimque collecta, textum alterum argenteum detegebat.

Adstrictoriæ cum suis globulis fibulæ argenteæ à summo, ad imum, ornatum omnem aptissimè conjunxerant.

Tunica, inferioréque Manicæ albo serico, intersecantibus cæruleis, nigrisque lineis; implicitóque argenti stamine, decorum adjecerant cultum.

Non diſſimilis cothurnorum facies; quippe diſcoloribus ſegmentis, & propriis Turcicæ Turmæ teſſeris notabantur.

Iiſdem fermè coloribus bombicinæ Equi phaleræ, auri argentíque Mæandris, ſinuoſo opere deſcriptæ, nigrâ obeunte tæniâ diſtinctæ; adamantibus, cyaníſque, argenteíſque Lunarum cornibus ſplendebant, egregiæ.



ARMIGER,




ARMIGER, ET EPHOEBVS, TVRCÆ.

ILLVD Capitis ornamentum elegerant, quod partim Pileum, partim Tiaram Turcicam exprimeret. Pileus ſerico textus, argento pictus; Tiara argento texta, ſegmentis ſericis exarata; quamquam diſpari ordine, pari tamen cultu nitebant. Præter plumariam criſtam, conſuetóſque Equitum apices, alas etiam iſti verſicoloribus plumis effictas, rutiláſque addiderant, tum humeris, tum pileo adnexas.

Iis cæruleo colore veſtis, cujus inverſam faciem argentum textile muniverat; cujus extremas oras, nigra tænia ſerica, ſuperfuſis auri operibus prætexuerat.

Equum Leonis ſpolio decentiſſimè Armiger inſtruxit. Feram diceres hiante rictu equi cervices abſorbêre. Jubæ, collo refluebant compoſitè. Anteriores pedes in antilenam, alios in poſtilenam; totius corporis exuvias, in ſtragula, artifices manus conformaverant. Putes Equo Leonem; Leoni Equitem inſidêre.


Cæruleo ſerico ſuum Ephœbus Equum ſtraverat, ſtratóque argentum inſeruerat; inſtitámque auro, argenteíſque Lunis ornatiſſimam.





CASTRORVM PRÆFECTVS TVRCA.

SI Alas ingentes, humeris innexas Armigero detraxeris; Caſtrorum Præfecti cultum omnem ſimilem puta.





CONDÆVS PRINCEPS, TVRCARVM IMPERATOR.

EMICVIT Condæus coccineâ veſte indutus, quæ cyanorum, atque adamantum fibulis adſtricta, concinnè ac venuſtè ante pectus cohærebat. Circum humeros gemmæ: Argenteæ infrà Lunulæ affulſerant. Atque ex illo humerali cultu, breves laciniæ auro, gemmíſque diſtinctæ decidebant.

Pares omninò laciniæ fimbriarum inſtar, Principis veſtem prætexebant. Cujus extremæ vtrimque partes reductæ, gemmatíſque fibulis revinctæ, faciem alteram argento textam explicabant. Collectos eo modo ſinus, argentea, Perſico more, faſcia, aureis notis interpuncta, aureíſque fimbriis finita, medio ferè corpore implicita, retinebat.

Circumvolutæ capiti, eodem ornatu, faſciæ, argenteis tæniolis ſectæ, cyaníſque atque adamantibus ſplendidæ, Tiaram effinxerant, quam ingens antè gemmarum inſigne, gemmeáque Lunæ cornua illuſtraverant.

Ea orbe vacuo Luna, effuſam plumarum congeriem ſuſtinebat, confuſis coloribus, & ſurgentibus Erodiorum criſtis quatuor, inſignem.

Tunica auro texta, argento depicta, recurvis Lunis, Aurificum operâ conflatis, prætexebatur, ſtriati, fusíque auri textili fimbriâ disjunctis.

Aureo item ſtamine Manicæ gemmatis armillis nectebantur; ſectilíſque in ſquammas Manicula argento fulgebat.

Argentearum Lunarum longa retrò ſeries, & velut retortæ, rejectæque humeris Manicæ, demittebantur.

Serico coccineo rubentes ocreæ, argenti opere deſcriptæ, argenteóque ſubtegmine nitidæ, coccineo ſquammarum ambitu, limbóque præcingebantur inverſæ. Argentea Lunarum cornua, eximio ordine, ad calceos uſque, antè deciderant. Faſciola deinde auri textilis, argento retexta, orbe vario cothurnos involvit.

Stragula Equi cærulea, ſerico, argentóque texta, tænia nigra præcinxerat in breves lacinias ſecta; quibus cyani, adamantéſque acceſſerant; auri textilis campanulæ dependebant.

Inauratæ argenti laminæ, gemmeis fibulis, ſtragulo innexæ, duabus ejuſdem operæ Lunis inſerebantur. Alia infrà Luna pendulis cornibus curvabatur.

Tergum ornaverant Phaleræ ſericæ, argenteæque; inauratis longo ordine Lunis diſtinctæ, campanulis textilis auri circumpendentibus. Lupatum, pedulia, calcaria auro micantia, cyanis atque adamantibus inſtructa. Gemmati umbones; capiſtrum, habenæ, peduliúmque lora, auro, gemmíſque contexta fulgebant.

Ex ipſa albi Curſoris Neapolitani fronte (eo enim Condæus Equo vehebatur) gemmea pependit Luna; cæruleæ, albæ, nigræque, velut triplici criſtâ, plumæ, vividum erectúmque caput inumbrabant. Revinctæ vittarum diſcoloribus nodis jubæ, hinc, inde refluebant.

TVRMÆ TERTIÆ

SYMBOLA, AC LEMMATA.

PRIMVM SYMBOLVM

Le Prince de Condé.

CONDÆI PRINCIPIS.

Cornuta Luna,

cum hac Epigraphe,

CRESCIT VT ASPICITVR.

Luna, modò curvatur in cornua, modò æquâ portione dividitur, orbe deinde pleno refulget; magíſque aut minus illuceſcit, ut Solis radiis magis minúſve adficitur. Ita, quidquid ſibi laudis, quidquid ſibi decoris Condæus pepererit, totum id Regi acceptum refert; tantóque illuſtriorem ſibi lucis ac gloriæ copiam acceſſuram exiſtimat, quantò eum amantius Rex adſpexerit.

II. SYMBOLVM

Le Comte de Sery.

COMITIS SERYÆI.

Floribus Arbor onuſta,

Lemma erat ejuſmodi,

SPES MODO, MOX FRVCTVS.

Dum pandunt ſeſe primæ in Arboribus gemmæ, & ſenſim dehiſcentes, floridos ſinus explicant; futuræ ubertatis pignora, & ſpes Annonæ lætiſſimas mirantur Agricolæ. Sic egregius Juvenis ad ardua paratum, erectúmque ſuâpte naturâ ſe prodit; & in ipſo ætatis flore, virtutis ac gloriæ fructus ſpondet uberrimos.

III. SYMBOLVM

MARCHIONIS SOYECVRTII.

Le Marquis de Soyecourt.

Vellus in Arbore aureum,

cum his verbis,

ORNATQVE, TEGITQVE.

Vellus aureum, arbori, cujus faſtigio inhæſerat, præſidio fuit atque ornamento. Eam fidei ſuæ teſſeram, ſacro veſtiario Præfectus Soyecurtius, ſcuto ſuo curavit adpingi: quippe qui non modò cultui Principis, ſed ſaluti etiam invigilet; nec tam ſuis eum curis, ornare, quàm ſuis ipſe periculis tueri gaudeat, ſiquando eò res fuerint adductæ.

IV. SYMBOLVM

Le Comte de Sault.

COMITIS SALTENSIS.

Juvenis Leo,

inſcriptum hoc erat Hemiſtichium,

PATRIOS ASSVRGIT IN VNGVES.

Ingenitâ ferociâ, ætatíſque robore ut primùm invaleſcit Leo ſuarum ſibi virium conſcius, pertentat ungues; crebríſque rugitibus concitatus, jubas excutit; ausíſque olim ingentibus ſecum ipſe præludit. Eâ imagine, ſummæ ſpei, egregiæ indolis Adoleſcens, æmulari ſe res majorum præclarè geſtas indicat, patriáſque virtutes ſequuturum, dum aſſequi poſſit.

V. SYMBOLVM

BVILLONII DVCIS.

Le Duc de Boüillon.

Heliotropium,

addito hoc Hemiſtichio,

MIHI JVS CONCVRRERE SOLI.

Ab aſpectu Solis nuſquam flos iſte deflectit: Quocúmque ſuum ſydus ſe verterit, continuò vertitur; & ſuo quodam jure, dum Sol cælum, terráſque luſtrat, Solem circumſpicit. Eâ quidem aptiſſimâ ſimilitudine, ſuam fidem, quâ Principi hæret tenaciſſimè, paratúmque ad minimos quoſque nutus obſequium, Nobiliſſimus Eques adumbravit.

VI. SYMBOLVM
MARCHIONIS CARMASELLI.

Le Marquis de Charmaſel.

Palmæ in coronam flexæ,

ea erat ſententia,

NON JVVAT EX FACILI.

Coronas iſte ambitiosè colligit, non obviis quibuſque frondibus, non inanibus floſculis contextas; ſed diſſitis regionibus, alióque penè ſub Sole quæſitas; nec ſine periculis ac laboribus decerptas. Palmas quærit, lauroſque, non hiacintos, aut roſas. Scilicet, paratam laudem, faciléſque victorias negligit; emptam curis ac ſudoribus gloriam ambit.

VII. SYMBOLVM
MARCHIONIS GAMACHÆI.

Le Marquis de Gamache.

Palma alteri Palmæ inflexa,

Inſcriptio erat,

SOLI SVCCVMBIT AMORI.

Nullo ſub onere depreſſa fatiſcit Palma; quò graviùs preſſeris, exſurget altiùs. Siquando verticem, ramóſque inflexos demiſerit; amore impulſam puta, quo ſeſe alteri gaudet innectere. Ita præſtantes animos, quos non frangit labor, non terrent minæ, durúmque imperium non dejicit, lenitate, ut lubet, duxeris, amore flexeris.

VIII. SYMBOLVM
EQVITIS BETHVNII.

Le Chevalier de Bethune.

Igniarium Speculum,

hæc erat Epigraphe,

DE SV LVZ, MI FVEGO.

Solis radiis ſpeculum illud inardeſcit, & urit; ignem excipit; ignem repercutit, ac refundit, ipsâ luce ſuccenſum. Ita Regis gloriâ, tamquam nitidiſſimâ luce, Bethunii pectus ſponte ſuâ jam incitatum, inflammatur. Ardet Eques; ſummíſque exemplis impulſus, nihil inauſum, nihil intentatum eſt relicturus.

IX. SYMBOLVM
MARCHIONIS PEGVILINI.

Le Marquis de Peguilin.

Verſum ad Solem Heliotropium,

Lemma erat additum,

NE DESPICE AMANTEM.

Vt numquam à Sole avertitur Heliotropium, ita numquam abs ſe Solem averſum optat. Clytien dicas, ſi qua fabulis fides, priſco igne ſuo etiamnunc agitatam orare ne ſuos umquam à ſe deflectat oculos. Amantis ea præcipua cura eſt, adſpicere, adſpici. Hæret defixus, & eos illicere in ſe oculos gaudet, quibus ipſe reficitur.

X. SYMBOLVM
MARCHIONIS COASLINI.

Le Marquis de Coaſlin.

Jaculum,

Inſcriptio,

IN VAN NON MAI.

Ejuſmodi Jaculum Aurora Cephalo, in pignus amoris olim fertur tradidiſſe, quod nuſquam vano ictu deciderit. Ferrum illud, quod nulla uſquam effugit fera, quoties intorquebatur, prædam confixerat. Huc ſpectaſſe natus ad gloriam Juvenis, eâ Symboli picturâ videtur, ut armis ſuis confidens, certam à ſe victoriam, confixis hoſtibus, exiſtimet eſſe referendam.

XI. SYMBOLVM
DVCIS LVXEMBVRGENSIS.

Le Duc de Luxembourg.

Herculis clava,

Inſcriptio,

MAGNA MAJOR FAMA.

Herculis gloriam nulla obruit vetuſtas, nulla delevit oblivio. Licet tamen, multa ejus prælia, ad nos uſque fama perduxerit; multa etiam, temporum tenebris & æternâ nocte condita omiſit, multa non æquis laudibus extulit. Nec enim tot tantíſque victoriis, aut tranſmittendis, aut ornandis par erat. Id ſibi timendum Dux bello inclytus, intelligit, ne parem virtuti ſuæ famam non ſortiatur.



Turma Quarta.

F.C. deli. et sculp.

TYMPANISTES ET TVBICEN, INDI.

ROSTRO adunco, expansis utrimque pennis, caudâ à tergo protensâ Psittacus ingens, Tympanotribæ capiti; minores alij humeris insedisse videbantur, expressis pictarum volucrum coloribus.

Serico carnei coloris subobscuri contexta vestis, flavis, nigrísque segmentis erat intersecta, quorum altera argento; auro altera depicta, adstantum populorum oculos suaviter affecer ant.

Ornatus omnis discolor, tum splendido luxu, tum lætâ rerum varietate oblectavit.

Pectorale aureum, circumducto unionum orbe insigne, tot inter ornamenta, nitebat.

Phaleræ, vexillulum, attextis flavi, nigríque serici tæniis, auro argentóque descriptis, distinguebantur, & in lacinias, fimbriásque plumis versicoloribus contextas desierant.





STIPATORES, DVCTVS AD POMPAM EQVVS, HIPPOCOMI, INDI.

AVREO pileo, variam plumarum picturam, & Stipatores, & Hippocomi inſeruerant; criſtæque plumatilis apicem, qualem ea turma ferebat, extulerant.

Serico coloris carnei, textus, laciniatúſque thorax, nigro ſegmentatus, aureis Phrygionum operibus pingebatur. Decuſſatæ faſciæ auro, atque unionibus diſtinctæ hinc, inde errabant.

Cingulum erat, linum pertenue, argento illuſum; quod varia plumatilis fimbriæ textura percurreret.

Equi phaleræ ſericæ, quibus rutilum aurum acus induxerat, flavo ſerico ſectæ, argento exaratæ, unionibus prætextæ, vario plumarum contextu fimbriatæ defluebant.





ARMIGER, ET EPHEBVS, INDI.

ARmigeri, Ephebíque pileum aureum, argenteúmque multiplici ordine adſurgentes plumæ ornaverant; plumariúſque in vertice apex, propriis Turmæ coloribus effulſit.

Colore carneo veſtis ſerica, auro, unionibus, multóque plumarum diſcolorum apparatu inſtructa corpus ſtrinxerat.

Equi phaleras flaventes nigris identidem ſegmentis inciſas, auro, argentóque Phrygiones; artibus ſuis plumarii artifices deſcripſerant, prætexuerant.





CASTRORVM PRÆFECTVS, INDVS.

QVI Caſtris Indorum præerat, eodem ferè ornatu, atque Armiger utebatur; niſi quòd ille auro, gemmis, unionibus, coralliiſque inſtructior ad pompam proceſſerat.







ANGVIENVS DVX, INDORVM REX.

ATTALICAM Anguienus veſtem induerat, argento retextam, gemmis interſtinctam. Sagulum, brevéſque manicæ, eodem ſtamine, eodem ſplendebant luxu. Circumductæ humeris tæniæ : extremíſque manicis, cingulo, ſagulóque adſuti ingentium unionum limbi, multâ opum vi ornabant, penè onerabant Ducem Indorum Egregium.

Appenſa collo faſcia, quam auro acus Phrygia texuit, in duas partes, ad pectus, diſciſſa, deinde circum humeros revoluta, ad cervices uſque retrò producebatur; crebris adamantibus diſtincta, quibus unio penſilis acceſſerat, pyri formam omninò referens.

Circumductæ collo plumæ, quarum altera colore carneo picta, argento ficta altera, antè nectebantur.

Latas fimbrias humeris, manicíſque obductas, fictæ, veræque plumæ, infrà ſupráque præciderant. Summo, extremóque ſagulo, ſummíſque ocreis, triplex plumarii, Phrygiíque operis ordo inhæſerat. Auri, argentíque textilis orbiculi, tintinnabulorum inſtar, æquis ſpatiis recidebant.

Galerum Indicum, ſecto in plumas auro, argentóque cinctum induxerat capiti, qui plumatilem apicem ſuis pictum coloribus, & emicantibus ardeolis inſignem ſuſtinebat.

Ocreæ auro textæ implicito, aureíſque tæniolis interſectæ, additis unionum tractibus, ſuras incluſerant.

Equi ſtrata ſerica, auro illuſa, argento deſcripta, nigris, aureíſque tæniis ſecta dimittebantur; orbiculatis laciniis, & nitentibus auro, argentóque peniculis prætexta.

Antella, poſtelláque, phaleræque omnes nigro ſerico, auróque textæ; aſſutis aurei texti centonibus argento circumductis. Multiplex verò textilis argenti tractus, cum longa ingentium unionum ſerie, per phaleras excurrebat.

Habenæ, capiſtra, pedulium lora, auro delineata, argentóque inſtructa. Lupatum, pedulia ipſa, calcaria aurea, umbonéſque adamantini, ſuperbienti, ferocíque Equo, ſuperbiam & decus addiderant.

Fronte mediâ plumatilis apex, flavus, albus, nigérque eminebat, ſtaminis aurei ſegmento innixus, cui ſingularis & formæ & pretii adamas fuerat præfixus. Vittarum nexibus Jubæ implicitæ effusè refluebant.

TVRMÆ QVARTÆ

SYMBOLA, AC LEMMATA.

PRIMVM SYMBOLVM

Le Duc d'Anguien.

ANGVIENNÆI DVCIS.

Effulgens Sidus,

Inſcriptum erat pro Lemmate,

MAGNO DE LVMINE LVMEN.

E Sole, tamquam è fonte ſuo, lux omnis profluit. Omnes ille cæli, terrarúmque tractus illuſtrat; tantóque effuſiore copiâ in ſtellas ſeſe refundit, quantò illæ ampliore ſinu lumen excipiunt. Aptiſſimâ ſtellæ fulgentis ſimilitudine, quæ noctis umbras diſcutit, & primulam emicantis diei lucem invehit, ſignificat Princeps, tantò ſibi ſpes lætiores, majoráque à Rege beneficia & conferri, & imminêre; quantò & natalium, & virtutum gloriâ cæteris Aulicis antecellit.

II. SYMBOLVM

Le Marquis de Canaples.

MARCHIONIS CANAPLII.

Meta pluribus telis petita, uno percuſſa,

Epigraphe,

NEC NVLLA, NEC OMNIS.

Ut non omnibus patens, ita non omnibus amoribus impervium pectus gerit ille. Qualibet formâ non capitur; omnem omnino non rejicit, multáque inter faſtidia, aliquâ voluptate duci ſe palàm indicat. Spes fortè ſuas eo Symbolo exhibet; quæ licèt plerumque fefellerint, non ſemper tamen irritæ excidêre, vt ſin minus omnia, aliqua tamen ſibi vota ſucceſſerint.

III. SYMBOLVM

COMITIS PLESSÆI.

Le Comte du Pleſſis.

Sagitta,

cum hac Inſcriptione,

MARTE LO MANDI, O AMORE.

Eadem Marti, ac Cupidini arma contigêre. Vibrat uterque Deus ſagittam. Ille quidem ſummis viribus percutit, perfringítque pectora; iſte blandiuſculè ferit: uterque tamen vulnus infligit. Ea nobiliſſimo Equiti figura convenit, qui laudis, qui amoris ignibus æſtuat, qui & belli pericula ac labores tolerare, & amoris tædia æquo animo ferre gaudeat, ſiquando ita convenerit.

IV. SYMBOLVM

Le Marquis de Genlis.

MARCHIONIS GENLISII.

Præfixum haſtæ Trophæum, congeſtis armis, larvis, facibus, aliiſque ludorum, & urbanæ feſtivitatis inſtrumentis, inſigne.

Lemma erat.

JVNCTA DECENT.

Quemadmodum congeſta belli, pacíſque ornamenta, diverſis licèt uſibus apta, uno tamen acervo collecta, lepidum ac venuſtum oculis Trophæum exhibent: ita omni laude ac famâ digniſſimus Eques æſtimandus, qui militares animos nobilémque ferociam, quam inter pugnandum induit, palæſtricis exercitationibus, ludíſque ſolemnibus, dum remiſit impetus, ſciat temperare.

V. SYMBOLVM

COMITIS GVITALDI.

Le Comte de Guitaut.

Heliotropium,

cui inſcripta hæc verba,

NOTA FIDES.

Singularis illa quidem Heliotropii in Solem ſuum fides: Ejus radios, quamdiu illuceſcit, excipit; & quo ſuum ille curſum deflexerit, ſuum continuò verticem flos inflectit. Eâ ſplendidiſſimi Sideris ſimilitudine, ſive Regem cui obtemperat, ſive Puellam quam deperit, iſte deſignarit, tum obſequii, tum amoris ſui fidem exiſtimat ſatis eſſe perſpectam.

VI. SYMBOLVM MARCHIONIS MONPESATII.

Le Marquis de Monpezat.

Ludicrorum Armorum Trophæum,

Lemma fuit.

NON FICTI PRÆMIA MARTIS.

Quamvis dulce ac decorum sit, stadio bellè atque eleganter decurso, cum plausu excipi, & palmam, fictíque certaminis præmium toto Circo ostentare; juvat enim vel in umbratili pugna vicisse: durioribus belli artibus, natum se Monpesatius intelligit. Confligere cum hostibus, decertare ferro, partam periculis suis referre victoriam malit.

VII. SYMBOLVM NIVERNENSIVM DVCIS.

Le Duc de Nevers.

Phœnix Soli expositus,

inscriptum erat,

VNVS CVNCTA MIHI.

Phœnix, à Sole, cui sàcer est, originem, alimenta, delicias sibi sentit infundi: atque adeo fixis in suo sidere oculis hæret, acceptáque beneficia sin minùs referre eum, saltem æstimare putes. Quot, quantísque nominibus Regi devinctus sit Dux iste, nimirùm agnoscit, cui sua omnia debere se, quem sibi unum esse omnium loco profitetur.

VIII. SYMBOLVM COMITIS ROII.

Le Comte de Roye.

Phœnix accenso rogo insidens,

cum hac Epigraphe,

CAVSA PLACET.

Horrore quodam ac metu, hominum mentes mors percellit: Causâ tamen quandóque suâ leniri, imo placere potest. Suam congestis Arabum odoribus Pyram exstructam implet, expansísque alis incubans Phœnix Soli se consecrat, & gaudet incendi. Suam ita vitam libenter profundat Vir nobilis, nec amissam putet, quam Regi impenderit.

IX. SYMBOLVM MARCHIONIS HVMIERII.

Le Marquis d'Humiere.

Variæ Coronæ,

ea erat Inscriptio,

NO QVIERO MENOS.

Paulò remissioris animi Equitem, una corolla satis supérque ornaverit. Mediocris enim ut virtus, ita plerumque hominum ambitio. Qui excelso, erectóque animo, immensâ laudis cupiditate accenditur, omnes ille aucupatur gloriæ causas; omnes sibi optat coronas inducere. Quod enim non ambiat decus, quæ sibi non asciscat ornamenta Eques strenuus?

X. SYMBOLVM SVLLII DVCIS.

Le Duc de Sully.

Igniarium Speculum,

cum hac Inscriptione,

ARDEO, VBI ASPICIOR.

Quantò copiosiùs igniarium Speculum Solis radios admiserit, tantò acriùs ignem remittit: luce enim ipsâ incalescit exceptâ, urit repercussâ. Augeri vim animi, vim amoris sui præstantissimus Eques affirmat, prout à Principe, vel à nobili Puellâ amantiùs aspicitur. Ingenuo enim ac liberali pectori gratiam si adjeceris, incitabis.

XI. SYMBOLVM MARCHIONIS D'OVAILLII.

Le Marquis d'Oüailly.

Rosarium cum Sole,

inscripta hæc erant verba,

RESPICE, FLOREBO.

Vt Rosæ in virides alabastros fastigiatæ, penè è suis corticulis erumpentes, Solis aspectu si foveantur, paulatim rubescentes dehiscunt, ac sese pandunt, in mediis calicibus luteos apices complexæ. Non aliter præclara volvens animo consilia Doüaillius, ingentia pro Rege certamina susceptúrum se asserit; & si quâ apud eum gratiâ valere possit, cumulatam sperat se gloriam esse consecuturum.



Quinta Turma.

F.C. deli. et Sculp.


TYMPANISTES, TVBICEN, AMERICANI.

CONCHIS, coralliíſque conflatum iſti galerum capiti ſuo aptaverant.

Viridi ſerico thorax, argenteis ſquammis deſcriptus; Manicæ, extremáque veſtis, lævigatis piſcium pinnis prætextæ, omnium in ſe oculos converterant.

Equorum phaleræ, Tigrium pelles: quibus inerant virides tæniæ, clavis aureis inneæ, ſectóque in breves lacinias auro circumſcriptæ.





MAVRI SIMIOS PORTANTES, VRSOS DVCENTES.

II torquem argenteum collo circumdederant, injecerant Muris pontici pellem, quæ ab altero humero dependens, cingulo circa medium corpus collecta, ad genua deinde defluebat. Illam assuta aurea instita prætexebat.





BIBLIOTECA UNIVERSITARIA
SALAMANCA

STIPATORES, EQVVS DVCTITIVS, AGASONES, AMERICANI.

BARBARIEM Americanam Stipatorum habitus, cultúſque expreſſerant. Tigridis ſpolium tam aptè induerant, ut rictus inhians quamdam quaſi caſſidem effingeret capiti advolutam; anteriores pedes collo obducti, nexile linteum exhiberent. Eæ quidem exuviæ carnei coloris ſerico ſubſutæ, collectis utrimque ſinibus reductæ, caudæ Tigridis retrò adnectebantur.

Pampineam capiti coronam, pampineas brachiis armillas addiderant.

Aureis faſciis præcincti, clavas pro armis ſuſtinebant.

Satyros imitabantur Agaſones. Rami, foliáque vitium decuſſatis faſciis, aureiſque cingulis revincta, totum corpus inumbrabant.

Phalerarum inſtar, circumvoluta Tigridis pellis, Pompatici Equi armos incluſerat; quam viridis bombicini percurrebat inſtita, auro argentóque picta. Subtexta erat ſectilis tænia, aureis Leonum roſtris diſtincta, gemmis ornata, pelliculis ſubſuta.

Mediâ fronte cornu prominebat, Monocerotem dixeris.





ARMIGER, EPHEBVS, AMERICANI.

AVREVM Draconis caput, Armigeri capiti in morem caſſidis conformatum horrebat elegantiſſimè, jubis retrò fluentibus. Aureis laminis compacta veſtis effulſerat, inſertis Draconum oculis. Decidebant in ſagum laciniæ ex pretioſis pellibus, aureis item laminis, oculíſque Draconum ornatæ.

Terſo ſerico coloris carnei ſagum induerant, viridi tæniâ interſectum, auro fimbriatum.

Stratus erat Tigrino ſpolio Equus, quod villoſi ſerici tænia incidebat, dependentibus pretioſarum pellium laciniis, quibus quaſi vigiles Draconum oculi inhæſerant.

Pellitum pileum Ephebus induit, cui Simij pellem ſuperinduxerat. Circumvolutam corpori Tygridem pro veſte aptavit, pro ſago ſquammas attexuit.

Marini piſcis ſquammatâ pelliculâ, cui aureæ laminæ imminebant clavis aureis affixæ, phaleratus Equus, exſultabat.



A Vnnvs Draconis caput, Armigeri capiti in morem callidis conformatum horrebat elegantibus, pedis retro flexibus. Aureis laminis compacta vestis effulgebat, superas Draconum oculis, Deosculabatur ea pugna lacinias ex pretiosis pellibus, aureis item laminis, ocellisque Draconum ornatas.

Tecto rubea colonis carnei lanam indicebant, viridi tenia interfectum, auro fimbriatum.

Strages erat Tyrrhi pedis Equus, quod vellofi ferici tenia incidebat, dependentibus pretiofarum pellium lacinis, quibus quafi vipeles Draconum oculi inhærebant.

Pellitus pilcum Ephebus indutus, cui Sinofi pelles fuperinduxerat. Circumvolutam corpori Tyrrhenum pro veſte aptavit, pro ſago ſquamas attexuit.

Marini pilei ſquamata pellicula, cui aureæ lamiæ imminebant clavis aureis affixa, phaleratus Equus, exhibebat.




CASTRORVM PRÆFECTVS AMERICANVS.

SVo ille capiti auream Tiaram impoſuit, gemmis, Erodij criſtâ, & undantibus plumis inſignem.

Laminis aureis contexta veſtis corpus tegebat. Humeris adducta concinnè Tygrium capita turgebant, quarum è rictu pellitæ laciniæ emittebantur; multis, tum gemmarum tractibus, tum Draconum oculis nitidæ.

Pantheræ ſpolium auro foliatim ſecto, gemmíſque ornatum, pellibúſque ſubſutum, pro phaleris Equo obduci curaverat.





AMERICANORVM REX GVISIVS.

FLEXIS, loricæ in ſpeciem, Draconum exuviis Guiſius tegebatur: quorum capita aptè & congruenter in humeros incidentia, uberes manicarum ſinus evomebant; quarum ſuperior auro, viridíque ſerico texta ; inferior argento textili, ad commiſſuras manuum demiſſa, ſmaragdorum eximiæ magnitudinis armillâ nectebantur. Æquis inter ſe ſpatiis circum ſagulum, laciniarum in morem, Draconum caudæ refluebant. Lepida unionum, ac pyroporum congeries, ut veſtem, ita cothurnos oneraverat.

Aureâ galeâ, in ornatum capitis utebatur, in qua fictus ex auro Anguis, reptanti ſimilis accubabat. Innexæ lucentibus circulis, virides albæque plumæ, altiùs, altiúſque ſeſe extulerant cum ſuis ſingulæ Erodiis : tres ſuprà criſtæ eminebant. Illa caſſis, ſeu plumatilis, ut ita dixerim, moles, in quatuor ferè pedum altitudinem excreverat. Compreſſæque, caudæ inſtar, longo tractu plumæ, ut ventis erant impulſæ, in Equitantis humeros identidem recidebant.

Enſem, vaginámque, ut Sinarum mos eſt, auro ornaverat, gemmíſque. Militarem clavam præferebat, inauratis cuſpidibus, atque ita minutim cæſis, ut pellucerent, munitam; cui circumplicati Anguis expreſſa effigies inhærere videbatur.

Badium equum conſcenderat, hircanæ Tigridis pelle inſtructum, cui multum auri, argentíque opus, acus Phrygia ſubtexuerat. Aureum Draconis caput rictu patulo, exſertáque lingua horrendum, antilenam effingebat. Equi armos, lateráque flagellabant ſerici aureíque Angues. Ingens à tergo Draconis roſtrum, magnam hiatu ſuo Colubrorum vim fuderat, quibus cauda velut crinibus inhorrebat. Implicita inter ſe Draconum corpora, velut pendula poſtilenæ lora hinc, inde recidebant. Et in ipſo collo ars ſingularis pro jubis Colubros partim arrexerat, partim demiſerat.

Aureum in Equi fronte cornu prominebat. Criſta deſuper aureis, argenteíſque ſegmentis contexta, è quibus altera Ardeæ criſta prodibat.

QVINTÆ TVRMÆ SYMBOLA, AC LEMMATA.

PRIMVM SYMBOLVM GVISII DVCIS.

Le Duc de Guiſe.

Tigri proſtratæ incumbens Leo,

cum hoc Lemmate,

ALTIORA PRÆSVMO.

Quamquam ludicris Annuli decurſionibus, ſpecioſis præliorum ſimulacris, & pomparum Equeſtrium voluptate urbaniſſimus Princeps non mediocriter delectetur; ea putat eſſe Principum oblectamenta, non negotia. Nimirum ad altiora animum erigit. Recreari ſe ludis, non detineri profitetur, & è palæſtra ad pugnas, è ſtadio ad caſtra ſponte ſuâ concitatus, ubi res tulerit, optat erumpere. Suam adeo virtutem imagine adumbrat, Leonis ſcilicet, qui dignum animo, dignum viribus ſuis hoſtem proſternit, ac dejicit.

II. SYMBOLVM HARCVRTII EQVITIS.

Le Chevalier d'Harcourt.

Crux Lotharinga Sole incluſa, in Melitenſem Crucem radios, ac lumen; in Lunas Turcicas fulmina vibrans.

inſcriptio hæc erat,

HINC LVMEN, HINC FVLMINA.

Quemadmodum in omnes latè terras Sol effuſis radiis diſpergit lucem, atque igne ſuo refovet; idémque ipſe excitatis terrâ maríque vaporibus, fulmina in pœnas ſcelerum accendit, & conflat: Ita exiſtimat egregius Adoleſcens, è Rege velut è Sole ſuo, decus omne ſuum, ſuorúmque exire; deinde fulmina exitura, quibus Ottomanorum Imperium concuſſum concidat.

III. SYMBOLVM MARCHIONIS RVPEFORTII.

Le Marquis de Rochefort.

Gemmis ornatus Enſis,

cum hac Epigraphe,

SPLENDOR ET AUXILIUM.

Iſte fulgore ſuo, gemmarúmque pretio, quibus intermicat, commendatur Enſis; nec minus mucrone ad uſum ac defenſionem Reipublicæ paratiſſimo. Sic virtutem ſuam Eques nobilis, tum in conciliandis ſibi honorum & gloriæ ornamentis, tum in tuenda Principis, Patriæque ſalute impendendam eſſe confidit.

IV. SYMBOLVM MARCHIONIS PLVMARTINI.

Le Marquis de Plumartin.

Aſper atque impolitus Adamas,

ſic inſcripſerat,

CHI MI TOCCA, SI STRVGGE, E M'ILLVSTRA.

Quodam inter ſe Magnes, Adamáſque certamine confligunt, diſpari tamen exitu. Magnes atteritur, politur Adamas. Ille vim ſuam à natura inſitam amittit; iſte novum decus, novam lucem induit. Ita in præliis, ſiquando fuerit laceſſitus, eo animo acturum ſe ſpondet Plumartinus, vt pudorem pœnámque hoſtibus, gloriam inde ſibi emerſuram ſperet.

V. SYMBOLVM MARCHIONIS CASTRÆI.

Le Marquis de la Chaſtre.

Ardenti Mirthi ac Thuris rogo Cor impoſitum,

Lemma,

GLORIÆ ET AMORI.

Utrâque & Amoris & Gloriæ flammâ incenſum iſte pectus oſtentat: Quippe qui dum pugnat, virtutem; dum amat, fidem adhibet; in bellis Eques ſtrenuus ac fortis; in otio urbanus & fidus amator. Id Thuris, id Mirthi ignibus exprimit, quorum illud ſupremæ Numinum Majeſtati adoleri ſolet; iſte Veneri Amorum & Gratiarum Reginæ ſacer eſt.

VI. SYMBOLVM

Le Marquis de Ragny.

MARCHIONIS RAGNII.

Malus aurea, foliis fructibúsque onerata,

Inscriptio,

POSITA FERITATE NITESCIT.

In insitivam ac silvestrem arborem inserta Malus aurea, non modò uberiores, suaviorésque fructus, floréque profert, sed lætioribus etiam foliis exuberat. Ita pacis belliique artibus præclarus Eques, post asperas rei militaris curas, durósque labores, quibus incumbit, ad ludos & otia hilarior redit.

VII. SYMBOLVM

MARCHIONIS MIROPICENSIS.

Le Marquis de Mirepoix.

Laurus, & Cupressus,

ea erat Inscriptio,

VINCERE, AVT MORI.

Eæ arbores, quarum altera viresćens, flexis in coronas frondibus, triumphos ornat; altera ad funebres usus, tristi fronde mortes hominum funestat, à prudentissimo Equite pro Symbolo sunt depictæ. Iis enim indicat, eo se animo in bellis futurum, ut quoties cum hoste conflixerit, aut occumbendum sibi, aut vincendum putet.

VIII. SYMBOLVM

Le Marquis de Vervins.

MARCHIONIS VERVINI.

Impositum Altari Thuribulum,

Lemma fuit,

ET COLIT, ET PASCIT.

Id sibi in animum induxerant rudes adhuc, incultique Populi, Thuris incensi suffitu non modò coli Numina, sed pasci. Eo Symbolo in id incumbere se Vervinus significat, vt, & Principem, cui est addictissimus, summo honore ac cultu prosequatur, & Mensam Regiam, cui est Præpositus, omni curâ ac fide administret.

IX. SYMBOLVM

MARCHIONIS BEVRONII.

Le Marquis de Beuvron.

Versatilis Pinnula ventis agitata,

Lemma,

NVNCA MVDO, SI NO MVDAN.

Quamquam mobilitate suâ versatilis sese Bracteola flectat, & ad omnem ventorum halitum moveatur; non tamen aliò illa vertitur, nisi aliunde illi flaverint. Non aliter iste sui propositi tenacissimus, numquam se ab amore suo discessurum affirmat, quamdiu ea quam colit Puella, in amore ipsa suo perstiterit.

X. SYMBOLVM

Le Marquis de Tury.

MARCHIONIS TVRII.

Aquila ad Solem volitans,

Inscriptio,

GOZEN LA VISTA, QVEMEN LAS PLVMAS.

Defixis in Sole oculis, altiùs altiúsque volitans Aquila ita hæret, ita miratur; ut recreari oculos, ardere plumas non sentiat. Amantis ea consuetudo est, oculos quibus capitur, curiosiùs inspicit; eas amat intueri faces, quibus accenditur: ita aspectu reficitur, ardore torquetur.

XI. SYMBOLVM

Le Duc de Brissac.

DVCIS BRISSACI.

Exigua, inter majores, Palma,

inscriptum erat,

ÆQVABO, SI FAVEAS.

Solis calore foventur, ac vegetantur arbores: gratiâ Principis, Aulicorum virtus, ac fortuna promoventur. Eâ ratione Avita decora, réque à Majoribus præclarè gestas, æquaturum se Dux Brissacus existimat, si blando Regis nutu ac favore incitetur.



F. Chauveau in. et fecit.

SOLENNIS

QUINQUE AGMINUM

IN AMPHITHEATRO,

LUSTRATIO.



IN Circum Turmæ proceſſerant, conſtiterant pauliſper, & Vigaranii curis, in ſuas ſingulæ ſtationes deinde diſceſſerant. E regione Theatri, in quo Reginæ conſederant, Rex ſuum omnem Equitatum collegerat. Cùm pictas, tritâque chartâ fictas, Capitum Effigies, Summus Caſtrorum Præfectus collocari juſſit; carceres claudi; alióſque, cum ſuis Equitibus, Duces, ad extremas quatuor Amphitheatri partes, ſecedere. Antequàm dato ſigno currendi fieret copia; libellos, quibus eæ Caſtrorum leges typis excuſæ continebantur, huc, illuc ſpargi voluit.

CASTRORVM LEGES.

QVADRAGIES-QVATER unaquæque Turma decurrito. Quæ plura Capita ficta, pictáque fixerit, extulerit; ſuperior eſto.

Ne cujus fraudetur virtus, atque induſtria. Si unus, pluréſve fuerint Equites aliarum Turmarum, qui totidem, aut plura fixerint, extulerint Capita; ij ad victricem Turmam tranſeunto. Sive pares ſecum decurſiones ab Equitibus victricis Turmæ repetant, ſeu malint curriculi fortunam iterùm experiri; penes eos eſto. Qui tranſfixorum Capitum numero vicerit, palmam referto.

Si cui exciderit pileus, enſis, jaculúmve; ſi cui elapſa fuerint inter currendum pedulia; ſi cujus Equus in arenam procubuerit, Equitémque ſecum effuderit: curſus ille ſuos & palmam amittito.

Qui orbe medio circumducto, ſuccuſſatorem Equum inſultè, atque ineleganter in ſtadium adduxerit (neque enim remiſſiore curſu eundum, ſed toto impetu in Annulum ac Capita irrupendum) ejus curſus inanis eſto.

Quandoquidem quatuor, è diverſis carceribus ſimul erumpunt Equites, nec Caſtrorum Judices conſtituti ſatis valeant perſpicere qui ſit decurſionum exitus: ſuos quiſque carceres quibus præſit, ſeligito; atque hic probatæ fidei Virum Nobilem ſtatuito, qui recenſitas Turmas, deſcriptáque Equitum nomina animadvertat, & tranſfixorum Capitum numerum in tabulas referat.

Ille è carceribus Vir Nobilis ne diſcedito; alium ſibi ſubſtituito, qui exactis curſibus Equitum nomina, victoriáſque in albo notatas ad Judices deferat; qui quidem pro meritis, victori palmam, præmiúmque porrigent.

ANVS. DVX GRAMONTIVS.


Sparsi etiam totis Castris libelli : in quibus Ducum, Equitúmque, cujusque Agminis nomina erant descripta; & decursionum ordo constitutus.

TVRMARVM ORDO.


REX.	DVX AVRELIANENSIS.	CONDÆVS PRINCEPS.	DVX ANGVIENVS.	DVX GVISIVS.
Vivonus.	*Villeregius.*	*Seryæus.*	*Canaplius.*	*Eques Harcurtius.*
Sant-Agnanus.	*Comes Plessæus.*	*Soyecurtius.*	*Eques Plessæus.*	*Rupefortius.*
Navaillius.	*Bellefontius.*	*Saltensis.*	*Janlisius.*	*Plumartinus.*
Armagnacus.	*Rohannæus.*	*Bouillonius.*	*Guitautus.*	*Chastræus.*
Ludæus.	*Lisle-bonæus.*	*Charmasellus.*	*Monpesatius.*	*Ragnyus.*
Louvignæus.	*Marsillacus.*	*Gamachæus.*	*Dux Nivernensis.*	*Miropicensis.*
Fueilladius.	*Fuxensis.*	*Bethunius.*	*Royæus.*	*Vervinus.*
REX, pro Villequiero.	*Cleræus.*	*Peguilinus.*	*Dux Angnus* pro Humerio.	*Bevronus.*
Armagnacus, pro Richelio.	*Vaillacus.*	*Coaslinus.*	*Süillius.*	*Turyæus.*
Sant-Agnanus, pro Durasio.	*Islierus.*	*Seryæus,* pro Luxemburgensi.	*Oüaillius.*	*Brissacus.*

ANVS DVX GRAMONTIVS.





AD FICTA CAPITA DECVRSIO.



IN ludicris olim certaminibus, quibus vanæ Capitum Effigies jaculo, enſéve transfigebantur, ſinguli Equites decurrebant. In hac palæſtra quaterni è carceribus erupêre : Atque ita Equitum numero formoſior, implicitis curſuum ac recurſuum orbibus difficilior ea fuit decurſio.


Orbe circumducto, tanto conſenſu, ita compoſitâ celeritate ferebantur, ut in medium campum ſimul progreſſi, ſervato deinde ordine, curſum ad Meduſam, eodem omnes tempore deflecterent. Quia verò longiſſimè patebat Hippodromus, ij Equi fuerant eligendi, qui eo eſſent ſpiritu, atque ita inſtituti ad ludos, flexique, ut æquabili ardore incitati procederent, & in tanta retextorum orbium frequentia, nec effervescerent nimium, aliorúmque curſus præverterent ; nec fatigati, ineleganter ſuos ipſi remitterent.

Tranſverſi ſepti fines quiſque ſecutus Eques, Turcicum Caput, Columnæ ligneæ inauratæ impoſitum, ſex ferè pedum altitudine eminens, haſtâ auferebat. Dimiſsâ deinde haſtâ, dimidium orbem dextrorſum inflectens ; conditum, ſuum inter femur, & Equi Ephippia, jaculum educebat, quo eminùs emiſſo, pictum Mauri Caput configeret. Ea quidem Mauri Effigies Columnæ, quinque pedum ſpatio à Clathris diſſitæ, quatuor pedibus exſurgenti, inhærebat. Secedebat Eques poſteà ; peractóque gyro, ad dextram detorquens, altero jaculo inſtructus, in mediam arenam properabat. Coëuntes illuc, mixtíque inter ſe Equites quatuor, circum Caſtrorum Præfectum, orbe intexto retextóque concurſabant. Eodémque mox tempore in contrarias partes quàm celerrimè flectebant equos, ubi ad carceres perveniſſent ; ſubſultim gyrantes, quà longi excurrebant clathri, rapidè invehebantur ; jaculo, Meduſæ Caput feriebant, figebántque. Inſertam autem Clypeo Gorgonidem, Perſeus alterâ manu obtendebat ; alterâ ferrum oſtentans, Equitibus elegantiſſimè minabatur. Tandem rurſus compoſito gyro illi abeuntes, redeuntéſque, defixum pedali palo, in ipſa planitie, Caput, inter currendum, ſtricto enſe, tranſadigebant abripiebántque.

Non ex eadem, ſed è primis quatuor Turmis delecti Equites totidem, prodibant in campum. Earum Duces primam decurſionem iniverant ; deinde alij, aliíque. Poſtremò Guiſius, Americaníque decertarunt. Et quia undecim omnino Equitum numero conſtabat ille Manipulus, tréſque in ultimos curſus, tantum ſupererant ; decurſioni tertiæ ſe adjunxit Guiſius : Atque ita numerum alij viciſſim implentes, quaternis ſinguli curſibus perfuncti ſunt ; ſi rem expendas. Quadragies quater decurſum eſt.

Venuſtè adeò, ac eleganter Egregij Equites ſuam omnes egere pompam, ut & Equeſtrium artium peritiâ, & ſuâ ipſi gratiâ, præſtantiâque corporis, ſpectatoribus commendati, ſin minus palmam, famam ſaltem virtutis, atque elegantiæ ſingularis retulerint. Erectos ſpontè ſuâ animos, PRINCIPIS etiam exempla accenderant, qui ejuſdem palmæ petitor, & ludicram victoriam non dedignatus, ad pugnas olim, nunc ad ludos præibat. Sexdecim Capita enſe, jaculóque LODOÏCVS ſumma cum dignitate confixerat; neſcio tamen quo fato emiſſum infixúmque jaculum, fallente cuſpide, quandóque excidit. Fortunam excepit Bellefontius, Perſici Agminis Eques: Numquam eum fefellit ictus; numquam in perfodiendis Capitibus erravit manus. Plaudente Theatro, tubis, tympaníſque ſonantibus ad Reginam ductus, ornatam pretioſiſſimis Adamantibus Pixidem, in præmium accepit; ſuis quidem opibus, multò magis Regum optimi, Regum Maximi Imagine, quam incluſerat, inſignem.

Cum Sole, ea omnis Pompa exceſſit. Omnis latè conſeſſus abiit, hodiernæ decurſionis voluptate; craſtinæ deſiderio permotus.





F. Chauueau jn. et fecit

ANNULARIS DECURSIO.



Is voluptatibus Rex ſuaviùs afficitur, quas in ſuos etiam populos effuderit; nec ea ſibi oblectamenta jucunda putet, quæ ſuis non impertiat. Turmas itaque poſtero die in Armamentarium convenire juſſit; unde cum omni cultu ſuo in Circum procederent, & totam, quàm latè patet, Urbem, Equitantes trajicerent. Eo quidem conſilio, ut quos anguſtior Theatrorum moles non caperet; aut tectis patentibus adſtantes, aut per vicos effuſi, ſplendidiſſimum apparatum mirarentur. Spectantium quidem voluptati magis quàm ordini ac dignitati Ludorum conſuluit: Etſi enim in ampliſſimis ac pulcherrimis compitis, plateiſque, pompæ celebritas augebatur; in anguſtis, multùm ſpectaculo ſplendoris, ac majeſtatis detractum eſt.

Cùm in Amphiteatro Rex, Agminâque conſtitiſſent: conſediſſéntque, ut anteà, Reginæ: Annularis Ludus, iiſdem ritibus editus eſt; ſpectante Curiâ, infinitâ civium multitudine, Theatrorum gradibus inſidente. Summa ipſa Luparæ tecta alij conſcenderant, alij vicinarum ædium Faſtigia: multi etiam tabulatis adrepſerant.


Laudem etiam in hoc certamine maximam Rex eſt conſequutus; quippe qui primâ decurſione, Annulo haſtam inſeruit: eâ elegantiâ, eâ præſtantiâ, eâ ſtabilitate, ut cum arte, ac fortunâ, virtutem, induſtriámque eſſe conjunctas, ſpectator quiſque perſpexerit. Cæteri Equites non mediocrem in hac Palæſtrâ gloriam obtinuêre, licet, ob refluentium plumarum, Ardearúmque mobiles criſtas, & offuſi fulgorem Solis, ſolitò eſſet demiſſior orbiculus; quem quidem intruſis haſtarum mucronibus commodiùs abſtuliſſent, ſi eâ quâ convenit, altitudine, appenſus eſſet.

Ter ſinguli Equites, non continuis curſibus, ſed ſuo quiſque ordine, ſtadii fortunam experti ſunt; alter alteri ſucceſſit, viciſſim alii. Primæ Turmæ Equites, deinde ſecundæ, alii deinde, ut inceſſerant, ita decurrebant.

Saltenſis Comes, Condæi Principis Turmæ adſcriptus Eques Palmam retulit; pretioſiſſimóque Adamante, ab Auguſtiſſima Principis Matre donatus, abiit, circumſonantibus, totis Caſtris, toto Amphitheatro, Tympanorum, Buccinarum, Plauſuúmque concentibus.

Is fuit celeberrimorum Ludorum exitus, quorum luxus, profuſúſque ſplendor, omnem Equeſtrium Pomparum apparatum, à Majoribus editum longè ſuperat; quorum magnificentia tam altè eorum qui adſtiterunt, animis inſidet, ut nulla unquam delere poſſit oblivio.

FINIS.



PARISIIS,
E TYPOGRAPHIA REGIA,
CVRANTE SEBASTIANO MABRE-CRAMOISY,
ejuſdem Typographiæ Directore.

M. D C. L X X.



Præfectorum Castrorum,
et Quinque Turmarum ex ingenti area, quæ Vindocinensi
Palatio adjacet, vsque ad Amphitheatri aditum Incessus.—



1 Pars hortorum regiorum
2 Structa recitandis comœdijs aula
3 Amphiteatrum
4 insessum populis theatrum
5 Prætoriana Legio vicos præterens
6 Primus Castrorum Subpræfectus
7 Summi Castrorum Præfecti Tympanistes vnus.
8 Tubicines duo
9 Armiger vnus
10 Ephœbi sex
11 Equi ductilij octo, singulis Agasones duo.
12 Tympanistæ duo
13 Tubicines quatuor
14 Stipatores decem
15 Summus Castrorum Præfectus.
16 Castrorum Subpræfecti quatuor
17 Tubicines duo
= Castrorum Turmæ Regiæ præfecti.
18 Armiger vnus
19 Ephœbi quatuor
20 Equi ductilij quatuor
21 Stipatores octo
22 Castrorum Præfectus
23 Subpræfecti duo
24 Tubicines duo Præfecti Castror. Turmæ Ducis Aurelianensis
25 Armiger vnus
26 Ephœbi quatuor
27 Equi ductilij quatuor
28 Stipatores octo
29 Castrorum Præfectus
30 Duo Castrorum Subpræfecti
31 Tubicines duo Præfecti Castrorum Turmæ Comitis Principis.
32 Armiger vnus
33 Ephœbi quatuor
34 Equi ductilij quatuor
35 Stipatores octo
36 Castrorum Præfectus
37 Subpræfecti duo.



DECURSIO AD CAPITA, et quinque Turmarum in Amphitheatro Stationes dispositæ.

Dies prima

1 Consessus Reginarum.
2 Consessus Iudicum.
3 Horti Regis.
4 In Amphitheatrum aditus.
5 Summus Castrorum Præfectus.
6 Primⁱ ejus Subprafecti 4ⁱ deinde alij Subprafecti.
7 Ejus Ephœbi, Tympanistæ Tubicinæ, Equi ductiij.
8 Præfecti Castrorum Turmæ Regiæ, duoq; adjutores sive Subprafecti.
9 REX in stadio decurrens, aut inter suos Equites stans.
10 Turmæ Regiæ Equites.
11 Tympanistæ Tubicinesque Regis.
12 Armigeri, Ephœbi eodem ordine positi.
13 Equi Regis ductiij.
14 Ejus Stipatores.
15 Præfecti Castrò Turmæ Ducis Aurel. duo item Subprafecti.
16 Dux Aurelianensis in stadio decurrens, ejusdem in suis castris Statio.
17 Ejus Turmæ Equites.
18 Tympanistæ Tubicinesque.
19 Ejus Armigeri, ejus et Equitum Ephœbi } extra Carceres.
20 Equi ejus ductiij, Equitumque
21 Stipatores ejus.
22 Præfecti Castrorum Turmæ Cõitis Principis, duo Subprafecti.
23 Condæus Princeps in stadio decurrens, ejusdem in suis castris statio.
24 Ejus Turmæ Equites.
25 Tympanistæ ejus Tubicenesque.
26 Armigeri ejus, Ephœbi ejus et Equitum.
27 Equi ejus ductiij, Equitum item Equi.
28 Stipatores ejus.
29 Præfectus Castrorum Anguienœi Ducis, duo Subprafecti.
30 Anguienœus Dux in stadio aut in castris.
31 Ejus Turmæ Equites.
32 Ejus Tympanistæ Tubicinesque.
33 Ducis Equitumque Armigeri, et Ephœbi.
34 Ducis Equitumque ejus Equi ductiij.
35 Ejus Stipatores.
36 Præfectus Castrorum Turmæ Guisij Ducis, duo ejus Subprafecti.
37 Dux Guisius in sua statione positus.
38 Ejus Turmæ Equites.
39 Ejus Tympanistæ Tubicinesque.
40 Ducis Equitumque Armigeri et Ephœbi.
41 Ducis Equitumque Equi ductiij.
42 Stipatores ejus.

1 *Considentium Reginarum Theatrum.*
2 *Castrensium Iudicum Sedes.*
3 *Summus Castrorum Præfectus.*
4 *Primus Subpræfectus, & alij Subpræfecti.*
5 *Tympanistæ Tubicinesque Præfecti Castrorum.*
6 *Ephœbi, Equi ejus Ductitij.*
7 *Præfectus Castrorum Turmæ Regiæ.*
8 *REX.*
9 *Decem ejus Equites.*
10 *Armigeri ejus.*
11 *Ejus et Equitum Ephœbi.*
12 *Ejus Tympanistæ et Tubicines.*
13 *Stipatores ejus, Equi ductitij Regis Equitumque.*
14 *Præfectus Castrorum Turmæ Ducis Aurelianæns.*
15 *Dux Aurelianensis.*
16 *Decem ejus Turmæ Equites.*
17 *Ejus Armigeri.*
18 *Ducis et Equitum Ephœbi.*
19 *Ejus Tympanistæ Tubicinesque.*
20 *Ejus et Equitum Stipatores, Equi ductitij.*


DECURSIO AD ANNULUM

Turmarum quæ Amphitheatro Stationes Compositæ.


21 *Præfectus Castrorum Turmæ Condæi Principis.*
22 *Condæus Princeps.*
23 *Decem ejus Turmæ Equites.*
24 *Armigeri ejus Equique ductitij.*
25 *Ephœbi Principis Equitumque.*
26 *Ejus Tympanistæ Tubicinesque.*
27 *Ejus Stipatores.*
28 *Præfectus Castrorū Turmæ Ducis Anguienæi.*
29 *Dux Anguienæus.*
30 *Decem ejus Turmæ Equites.*
31 *Ejus Armigeri, Equique ductitij.*
32 *Ejus et Equitum Ephœbi.*
33 *Ejus Tympanistæ Tubicinesque.*
34 *Ejus Stipatores.*
35 *Præfectus Castrorum Turmæ Ducis Guisij.*
36 *Dux Guisius.*
37 *Decem ejus Turmæ Equites.*
38 *Ejus Armigeri.*
39 *Ejus et Equitum Ephœbi.*
40 *Ejus Tympanistæ Tubicinesque.*
41 *Stipatores, Equi ductitij Ducis Equitumque.*

QUINQUE TURMARUM in Amp[hi]theatro Pomp[a] exhibita


1 *Amphitheatri aditus.*
2 *Ingens porticus.*
3 *Summus Castrorum Præfectus.*
4 *Primus Subpræfectus.*
5 *Quatuor Summi Castrorum Præfecti– adjutores.*
6 *Præfectus Castrorum Turmæ Regiæ.*
7 *Armigeri duo Regis hastam et Scutum ferentes.*
8 *REX.*
9 *Decem Regiæ Turmæ Equites.*
10 *Armigeri, Ephæbi, Equi ductitij Regis Equitumq[ue].*
11 *Ephæbi Equitum.*
12 *Tympanistæ Tubicinesque.*
13 *Stipatores Regis Equitumque.*
14 *Præfect[us]. Castrorū Turmæ Ducis Aurel. duoq[ue] Subpræf[ecti].*
15 *Dux Aurelianensis.*
16 *Decem ejus Turmæ Equites.*
17 *Armigeri, Ephæbi, ductitij Equi Ducis Equitūq[ue] ejus.*
18 *Ephæbi Equitum.*
19 *Tympanistæ Tubicinesque*
20 *Stipatores Ducis et Equitum.*
21 *Præfect[us] Castro[rum] Turmæ Principis Condæi duoq[ue] Sub. præfecti.*
22 *Condæus Princeps.*
23 *Decem ejus Turmæ Equites.*
24 *Armigeri, Ephæbi, Equi ductitij Princip[is] Equitumque ejus.*
25 *Ephæbi Equitum.*
26 *Tympanistæ Tubicinesque.*
27 *Stipatores Principis Equitumque.*
28 *Præfectus Castrorū Turmæ Ducis Anguienœi, duoq[ue] Subpræfecti.*
29 *Dux Anguiennæus.*
30 *Decem ejus Turmæ Equites.*
31 *Armigeri, Ephæbi, Equi ductitij Ducis Equitumq[ue] ejus.*
32 *Ephæbi Equitum.*
33 *Tympanistæ Tubicinesque.*
34 *Stipatores Ducis Equitumque.*
35 *Præfectus Castro[rum] Turmæ Guisij Ducis, duoque Subpræfecti.*
36 *Dux Guisius.*
37 *Decem ejus Turmæ Equites.*
38 *Armigeri, Ephæbi, Equi ductitij Ducis Equitumque ejus.*
39 *Equitum Ephæbi.*
40 *Tympanistæ Tubicinesque.*
41 *Stipatores Ducis Equitumque.*



38 Duo Tubicines Castrorum Præfecti Turmæ Anguiennæi Ducis
39 Armiger vnus
40 Ephœbi quatuor
41 Equi ductitij quatuor
42 Stipatores octo
43 Castrorum Præfectus
44 Subpræfecti duo
45 Tubicines duo Præfecti Castrorum Turmæ Guisij Ducis
46 Armiger vnus
47 Ephœbi quatuor
48 Equi ductitij quatuor
49 Stipatores octo
50 Castrorum Præfectus
51 Subpræfecti duo
52 Tympanistes vnus Turmæ Regiæ
53 Tubicines duo
54 Equi ductitij viginti Equitum Turmæ Regiæ : duo singulis Agasones
55 Quatuor Regis Armigeri
56 Regis Ephœbi viginti quatuor



57 Armigeri duo
58 Equi ductitij Regis quinquaginta: duo singulis Agasones.
59 Tympanistæ tres
60 Tubicines octo
61 Quinquaginta Regis famuli pedites
62 Armigeri duo Regis hastam et Scutum ferentes
63 REX Romanæ Turmæ Imperator
64 Prætorianarum cohortium vexillarij quatuor
65 Decem Equites Turmæ Regiæ cum suis singuli Armigeris quatuor.




92 *Viginti Equitum Ephœbi*
93 *Tympanistes vnus Turmæ Anguiennæi Ducis.*
94 *Tubicines duo*
95 *Viginti Equi ductilij Equitum, duo singulis Agasonas.*
96 *Armiger vnus*
97 *Ephœbi duodecim Anguienn. Ducis*
98 *Armiger vnus*
99 *Equi ductilij viginti quatuor Anguienn. Ducis, singulis Agasones duo.*
100 *Tympanistæ duo*
101 *Tubicines quatuor*
102 *Serui viginti quatuor*
103 *Dux Anguiennæus Indorum Turmæ dictor.*
104 *Decem Equites Turmæ Anguienn. Ducis quatuor singuli Seruis Stipati.*




105 *Viginti Equitum Ephœbi*
106 *Tympanistes vnus Turmæ Guisij Ducis*
107 *Tubicinas duo*
108 *Equi ductilij viginti, singulis Agasonas duo.*
109 *Armiger vnus*
110 *Duodecim Ephœbi Guisij Ducis*
111 *Armiger vnus*
112 *Equi ductilij viginti quatuor Guisij Ducis, Agasonis singulis duo.*
113 *Tympanistæ duo*
114 *Tubicines quatuor*
115 *Satyri duodecim Ursos duodecim tenentes*
116 *Fauni duodecim*
117 *Dux Guisius Americanæ Turmæ ductor*
118 *Decem Equites Turmæ Guisij Ducis, quatuor Satyris Stipati singuli.*
119 *Viginti Equitum Ephœbi.*

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA
SALAMANCA




79 Viginti Equitum Ephœbi
80 Tympanistes vnus Turmæ Condæi Principis.
81 Tubicines duo
82 Viginti Equi ductitij Equitum; singulis Agasonēs duo.
83 Armiger vnus
84 Condæi Principis Ephœbi duodecim
85 Armiger vnus
86 Equi viginti quatuor ductitij Condæi Principis, singulis Agasonēs duo.
87 Tympanistæ duo
88 Tubicines quatuor
89 Serui viginti quatuor
90 Condæus Princeps Turcarum Turmæ ductor
91 Decem Equites Condæi Principis Turmæ quatuor singuli serui Stipati.




66 Viginti Equitum Ephœbi
67 Tympanistes vnus Turmæ Aurelianensis Ducis
68 Tubicines duo
69 Viginti Equi ductitij Equitum; singulis Agasones duo
70 Armiger vnus.
71 Sexdecim Ephœbi Ducis Aurelianensis
72 Armiger vnus
73 Equi viginti quatuor ductitij Aurelian. Ducis, singulis Agasones duo
74 Tympanistæ duo
75 Tubicines quatuor
76 Serui viginti quatuor
77 Dux Aurelianensis Persicæ Turmæ ductor
78 Decem Equites Ducis Aurel. Turmæ, 4or. singuli seruis Stipati.

Le Roy 1




Le Comte de Vivonne 2



Le Comte de S.t Aygnan 3




Le Duc de Nauaille 4



Le Comte Darmagnac 5















Le Comte du Lude 6



Le Comte de Louuigny 7




Le Comte de la feuillade 8



Le Marquis de Villequier 9



Le Marquis de Richelieu 10



Le Comte de Duras 11




12

Monsieur



13

Le Marquis de Villeroy




14

Le Comte du Plaissy



15


Le Marquis de Bellefon




16

Le Cheuallier de Rohan














17


Le Comte L'Hlebonne



Le Prince de Marcillac 18



Le Comte de Foix 19




Le Comte de Clere 20



Le Comte de Vaillac 21



Le Comte dilliers 22







Le Prince de Conde 23



Le Comte de Sery. 24



25

Le Marquis de Soyecour



Le Comte de Sault 26




Le Duc de Boullion 27














Le Marquis de Charmasel 28




Le Marquis de Gamache 29




Le Cheuallier de Bethune 30




Le Marquis de Peguilen 31



Le Marquis de Coalin 32




Le Duc de Luxembour 33


















Le Duc d'Anguin 34




Le Marquis de Canaple 35



Le Cheuallier du Plessys 36




Le Marquis de Jenlis 37




Le Comte de Guitaut 38











Le Marquis de Monpesat 39



Le Duc de Neuers 40




Le Comte de Roye 41



Le Marquis d'Humier 42



Le Duc de Sully 43




Le Marquis de Oüailly 44


















Le Duc de Guise 45




Le Cheuallier d'Harcour 46



Le Marquis de Rochefort 47.




Le Marquis de la Chatre 49





Le Marquis de Plumartin 48














50

Le Marquis de Ragny.



51

Le Marquis de Mirpoix




52

Le Marquis de Verjuins



53

Le Marquis de Beuuron



54

Le Marquis de Jury



55

Le Duc de Brissac



BIBLIOTECA UNIVERSITARIA
SALAMANCA

